

INFORMATION TO USERS

This manuscript has been reproduced from the microfilm master. UMI films the text directly from the original or copy submitted. Thus, some thesis and dissertation copies are in typewriter face, while others may be from any type of computer printer.

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleedthrough, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send UMI a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

Oversize materials (e.g., maps, drawings, charts) are reproduced by sectioning the original, beginning at the upper left-hand corner and continuing from left to right in equal sections with small overlaps.

ProQuest Information and Learning
300 North Zeeb Road, Ann Arbor, MI 48106-1346 USA
800-521-0600

UMI[®]

UMI Number: DC52370

INFORMATION TO USERS

The quality of this reproduction is dependent upon the quality of the copy submitted. Broken or indistinct print, colored or poor quality illustrations and photographs, print bleed-through, substandard margins, and improper alignment can adversely affect reproduction.

In the unlikely event that the author did not send a complete manuscript and there are missing pages, these will be noted. Also, if unauthorized copyright material had to be removed, a note will indicate the deletion.

UMI[®]

UMI Microform DC52370
Copyright 2007 by ProQuest LLC
All rights reserved. This microform edition is protected against
unauthorized copying under Title 17, United States Code.

ProQuest LLC
789 East Eisenhower Parkway
P.O. Box 1346
Ann Arbor, MI 48106-1346

3. De causa instrumentali

Praenota:-

- A) Quid sit instrumentum? p. 22
- B) Quotuplex sit? p. 23

Ad thesim

- A) De constitutivo formali instrumenti p. 26
 - a) in actu primo p. 26
 - I. Principia generalia p. 26
 - II. Sententiae p. 29
 - A- Scoti p. 29
 - B- Suarezii p. 31
 - C- S. Thomae p. 33
 - III. De natura entitatis vialis instrumentalis p. 35
 - Corollaria
 - A- De modo receptionis p. 45
 - B- De potentia obedienciali p. 49
 - b) in actu secundo p. 51
 - I. Quid sit? p. 51
 - II. Quomodo sic constituitur instrumentum? p. 52
- B) Quid supponitur in instrumento? p. 53
 - a) virtus et actio propria p. 53
 - b) "agere dispositive p. 56
- C) De effectu p. 58

II- Probatur	p. 60
1. positive	
A) Ex natura principii causalis	p. 60
B) Ex natura instrumenti respectu principalis agentis	p. 63
2. negative: Objectiones solvantur	p. 67

CONCLUSIO

III- Corollaria

1. Ergo falsae sunt sententiae Scoti et Suarezii	p. 73
2. Ergo ratio formalis instrumenti est *ut motum*	p. 79
3. Ergo talis est entitas vialis instrumentalis:	p. 81

IV- Scholia

1. De repugnantia instrumenti creationis	p. 82
2. De causalitate instrumentali potentiarum animae	p. 83
3. De causalitate instrumentali phantasmatis	p. 85
4. De causalitate instrumentali omnis creaturae	p. 86

INTRODUCTIO

Philosophia definitur; scientia omnium rerum per ultimas causas, procedens sub lumine rationis. Vastissimum est autem suae investigationis campus. Omnis creatura enim ex ipsa nature sua dicit relationem vel ordinem ad causam existentiae ejus. Sed quia aliquod ens non immediate creatum est, nempe producitur per causam creatam, munus igitur philosophiae consistit determinare et dare rationes ultimas explicativas diversorum entium. Sicut per manifestationes exteriores hominum, principia vel dispositiones intimae cognoscuntur, ita per modum vivendi vel essendi, causae ultimae rerum attinguntur; nam effectus proportionari debet causae, ut docet philosophia. Statim vero surgit difficultas practica in applicatione principii hujus. Effectus quidem enim attribuitur agenti inferioris ordinis; effectus supernaturalis causatur per agentem naturalem, immo corporeum v.g. aqua Baptismi sacramenti producit gratiam; opera artis per vilia instrumenta producuntur sicut serra cappentarii quae facit scammum, scalprum sculptoris quae executat statuum; denique calor animalis quae generat carnem. Quid fit autem principium "omnis effectus proportionatus est causae suae? Sola autem distinctio causae principalis et causae instrumentalis dirigere potest investigationes intellectus. Et ideo studium causarum instrumentalium ordinem instaurat inter causas imperfectas et perfectas rerum. Etenim producere effectum supra se deserviens alio principali agente, praecise est communis notio instrumenti. Quomodo instrumentum producere potest effectum excedentem? Quid sit principium ejus operationis? Effectus attribuiturne ei? Ecce aliquae quaestiones, quam volumus studere in praesentem thesim.

Sine dubio, causa instrumentalis non est summi et fundamen-

talis momenti in philosophia neque principalior omnium causarum. Tamen causalitas potentiarum animae; officium phantasmatis in problemate mysterioso cognitionis non explicantur sufficienter nisi per causalitatem instrumentalem. Etiam necesse est haec doctrina, ad scrutandum "jugum suave et forte Dei" in creatura. "Omnia opera nostra operatus est in nobis Domine" ut dicit Isaias. Et "omnes homines comparentur ad Deum ut quodam instrumenta quibus operetur" (IV Cont. Gent. c.41). Unde ille, qui non diligenter studuit hunc modum causalitatis nempe instrumentalis, non perfecte habet rationes ultimas omnium rerum; immo non possedit bene causarum metaphysicam.

Porro theologia christiana offert nobis multas pulcherrimas applicationes hujus modi causalitatis: inspiratio scripturarum, causalitas sanctificatrix Humanitatis Christi, productio gratiae per sacramenta, munus sublimum sacerdotis et mediationis universalis Beatae Virginis Mariae. Hoc est igitur momentum hujus quaestionis et cur eligimus eam.

sicas. Mutatio et multitudo entium sensibilibus non explicatur nisi per limitationem entium per potentiam; unio maxima cognitionis supponat capacitatem vel potentiam recipiendi alia ut alia; denique est tota metaphysica cum distinctionibus suis essentiae et esse, accidentium et substantiae.

Haec theoria aristotelica nata est, ad conciliandum principium identitatis (a Parmenide affirmatum) cum facto evidentissimo motus seu "To" fieri (ab Heraclite affirmatum). Ens est ens; non ens est non ens. Sed ex ente non fit ens, quia jam est ens: v.g. ex statua non fit statua. Et ex nihilo nihil fit. Parmenides autem qui est idealistatus, dans prioritatem et superioritatem intellectui ejus, concludit simpliciter et absolute, nihil fieri potest. Non! exclamat materialistatus Heraclitus: omne est motum, omne est fieri. Nihil stabile est; "realitas movens" sola est vera.

In utroque casu, eadem absurditas est: negatio evidentiae cujusdam ad salvandam objectivitatem alterius. Quomodo autem conciliare existentiam motus, qui manifestus est in toto universo, cum stabilitate quae apparet inter perpetuos motus? Concedo, ait Aristoteles, quod ens est ens, statua est statua et quod marmoreus moles non est statua. Tamen debet admittere etiam quod marmoreus moles fit statua sub sculptoris influencia. Si ergo marmor fit statua, hoc est quia habet in se aptitudinem ad faciendam iri statua. Ergo ex nihilo nihil fit, concedo. Ex ente non fit ens distinguo: ex ente determinato, nempe in actu, non fit ens, concedo - ex ente non determinato nempe in potentia, non fit ens, nego. Haec est doctrina de actu et potentia. Omne ens creatum componitur ex potentia et actu; e contra, ens increatum quia non potest mutare, omnino est actus: actus purus.

Exinde multa corollaria deducuntur. Enumeramus aliqua. Actus melior est potentia quia est complementum vel perfectio potentiae. Nunquam sunt simul sub eodem respectu (principium contradictionis). Actus, determinans potentiam, dividit et classificat entia specificae. Et ita habetur explicatio

principii rationis essendi: quidquid est, rationem essendi habet. Nomine "rationis" intelligitur id in quo res fundat suam quidditatem vel suum esse, vel suum intelligere. Hoc est fundamentum proximum principii causalitatis de quo specialiter agitur in thesi. Ratio essendi enim distingui potest intrinsecam et extrinsecam: v.g. lignum est lignum per essentiam intrinsecam; sed lignum fit rotundum non ex natura sua, ideo per aliquid extra, quod principalius dicitur causa. "Omne quod alicui convenit non secundum quod ipse est, per aliquam causam ei convenit, nam quod causam non habet primum et immediatum est." (C.Gent. II,c.15). Unde omne quod fit causam habet. Oportet notare tamen quod semper ratio extrinseca proprie est causa; v.g. facultates animae sunt ratione exigentiae animae (intellectus in anima humana), sed quia emanatio non formaliter est actio, proinde anima non dicitur causa proprie loquendo etiamsi sit ratio essendi extrinseca (realiter distincta) facultatum.

In ordine motus etiam corollaria multiplicantur. Omne ens quod transit de potentia in actu mutat quia acquirit perfectionem novam. Converso modo, omne ens quod mutat componitur ex potentia et actu. Cum agere sit actuare potentiam, necesse est agens esse in actum, quia nemo dat quod non habet; et si aliquid recipit, debet habere potentiam vel imperfectionem quae perficitur. Consequenter nullum patiens sine agente, neque actio sine motione. Quia "de potentia, ait S.Thomas post Aristotelem, non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu. Nam est autem impossibile ut idem sit simul in actu et in potentia secundum idem." (I,q.2,a.3) Ergo quidquid movetur ab alio movetur; quoniam in quantum motum indeterminatum est. Actus igitur realiter prior est potentia.

Sufficienter apparet igitur momentum actus et potentiae ad intelligendam causam. Causa enim non est, nisi rationem sive intrinsecam sive extrinsecam "esse" rei. Unde innititur necessitas actualitatis agentis, et passivitatis patientis. Transitio de potentia ad actum seu causalitas exigit

motu et actione. Et cum nulla potentia fit actum per seipsam, requirit aliquid distinctum et prius, et sic probari possunt hae proprietates causarum speciatim efficientis.

Ideo virtute doctrinae de actu et potentia, thomismum conciliat exigentias rationis et experientiae; causalitatem divinam nempe primum motorem immobilem et causalitatem creatam quae subordinatur ad primam. Recte autem dicitur P. Garrigou-Lagrange: "Haec doctrina (de potentia et actu), virtute harum universalium principiorum, sive in ordine essendi, sive in ordine operandi, semper enarrat gloriam Dei, sine quo nihil est et nihil omnino operatur." (Angelicum 1925)

THESIS.

I.- Status quaestionis

1. De CAUSA:

Primo aspectu verba: causa, principium et elementum videntur synonyma. Ab ipsa Aristotelis definitione principii etiam confirmatur. Principium enim est "primum omne unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur." (Metaphys.V.lect. 1). Et apud omnes constat quod causa producit seu communicat esse ad aliud; ideo debet praecedere hunc aliud, incipere; unde principium dicitur. Tamen si omnis causa est principium, conversa propositio nempe omne principium est causa, non est bona: v.g. punctum est principium lineae sed non causa ejus. Aliunde elementum quod est constitutivum vel pars totius alicujus non dicitur de omni causa nempe de causis extrinsecis. Unde videtur quod principium latius quam causa et causa quam elementum. In medio autem principii et elementi stat causa. Etenim "hoc nomen causae videtur importare diversitatem substantiae, et dependentiam alicujus ab altero, quem non importat nomen principium"(I,q.33,a.1 ad 2). Id quod procedit ab elemento appellatur compositum; a principio, principiatus; et a causa, effectus.

Quid sit autem causa? Ab auctoribus multae dantur definitiones, secundum causae diversas proprietates communes. Ita P. Suarez: causa est "id quod per se influit esse in aliud." Alii sic definierunt eam: "id a quo aliquid per se pendet", ita Conimbricenses et Fonseca. Alii: "id a quo aliquid sequitur." Denique cum Avicenna alii dicunt quod causa est "id quod tribuit esse rei", in verbis tantum differt haec definitio a prima definitione tradita.

Omnes istae definitiones continent aliquid bonum, sed nulla in sua formula exprimit clare omnia propria requisita ad conceptum aequatum causae. S.Thomas tradit has condiciones vel proprietates causae in I Phys. ubi dicit quod causae dicuntur, ex quibus res dependent secundum esse suum vel

feri, et per dependentiam in esse, causam definit. Ita in V Metaphys.lect.1. inquit: "Quod principium ordinem quemdam importat; hoc vero nomen causa influ- xum quemdam ad esse causati." In alio loco dicit quod causa est "id ad quod sequitur effectus" (X de Pot. a.1 ad 3), nempe per sequelam physicam quoad esse ut recte notat J. a Sancto Thoma.

Oportet igitur sumere notas solas formaliter distinctas in omnibus his definitionibus supra datis: rationem principii, rationem influen- tiaae et rationem consecutionis effectus scilicet esse ejus.

Aliquid enim pendere potest ab alio sive ut terminum sive ut medium sive ut principium: v.g. relatio praedicamentalis pendet a termino suo, quod ut sic non causat relationem; quantitas etiam pendet ab indivisibi- li terminante et continuante quod interponitur partes non tamen ut causa. Un- de definitio causae habere debet pro genere "principium" quia debet esse pri- mum seu ad originem productionis. Principium enim est "id unde aliquid proce- dit quocumque modo" (I,q.33,a.1). Ut dictum est latius est principium quam causa; nam aliquid procedere potest ab alio sive in ordine cognoscendi sive in ordine essendi. Quod explicatur in alia principii definitione, ipsius Aris- totelis: "id unde aliquid est, sut fit aut cognoscitur." Sed causa de qua agi- tur, explicare debet propter quid rei, in natura: de esse ergo reali vel phy- sico. Unde tantum aliquid reale vel physicum nempè principium ejusdem ordinis non autem principium cognitionis, quod non producat rem vel objectum ejus sed supponit eum existentem, - a praemissis enim procedit conclusio et proinde di- cuntur principium sed dependentia est logica tantum. Ergo causa non potest dici nisi principium in ordine essendi realis seu physici.

Principium, unde aliquid procedit secundum rem seu realiter duplex est: a) mere negativum; ita privatio est principium unde incipit gene- ratio scilicet terminum a quo generationis. Sed causa implicat rationem influ- entiae, secus nox esset causa diei; vita, causa mortis etc. nam utraque sequi- tur sicut a principio seu termino a quo; quod manifeste contra sensum commu-

nem est. b) positivum quod est proprium aliquod principii causae. Principium autem positivum, unde aliquid procedit realiter, iterum dupliciter subdividitur. Alterum influit esse; alterum non influit esse. Ita punctum a quo procedit linea realiter et positive, non tribuit esse lineae sed tantum est principium inceptions et successionis; immo linea pendet a puncto pro positione vel mensura ejus, quae non est de natura lineae. Inter principia unde aliquid procedit realiter, positive et quae tribuit esse, aliud influit esse cum dependentia, alterum sine dependentia. Pater enim in divinis personis est principium Filii et tribuit esse Verbo, quin Filius a Patre dependeat (secundum sacram theologiam) quia esse, quod Pater influit est ipsum esse Patris communicatum Filio. Propterea Pater non dicitur causa Filii, sed principium et Filius, principiatu. Unde principium quod tribuit esse cum dependentia reali, constituet causam.

Ex his elementibus sic definiri potest causa: principium in essendo (in loco generis), positivum, tribuens esse rei cum reali dependentia ab eo (in loco differentiae specificae).

J. a Sancto Thoma dat hanc causae definitionem: "principium alicujus per modum influxus seu derivationis, ex qua natum est aliquid consequi secundum dependentiam in esse." Brevius P. Gredt formulat eandem definitionem: "principium positivum, unde aliquid procedit realiter secundum dependentiam in esse." Jamvero notandum est quod haec definitio causae, est de causa in actu primo scilicet ut principium causalitatis. Causae diversae, non eodem modo tribuunt esse; ideo impossibile est, dare definitionem univocam omnium causarum; nam earum causalitas seu causa in actu secundo diversa est. Et actus primus correspondet actui secundo, unde conceptus causae non est univoca.

Nunc interest non miscere conditionem et occasionem cum causa. Conditio definitur: aliquid requisitum ad rem faciendam sed non ad rem faciendam id quod est. Explico per exemplum: in obscuritate pictor non potest

pingere picturam suam; ideo lux est conditio ad picturam pingendam. Tamen lux neque movet calamus, neque applicat colores; in aliis verbis non influit directe in picturam, nam cum eadem luce, pictor potest facere picturam plus minusvel pulchram. Indirecte modo influit conditio ita quod sine illa agens non potest exercere causalitatem suam; unde nomen ejus conditio "sine qua non". Sed cum res existat per aliquid intrinsece sibi; conditio autem non est causa rei quia non influit neque intrinsece neque extrinsece in esse rei; sed tantum in agentem, qui realiter distinguitur ab effectu.

Occasio nullo modo influit in esse rei, neque in agentem producentem esse rei. Occasio enim est aliquid quod est aut fit simul cum apparitione effectus. Multipliciter est: occasio temporis, loci, personae etc.; v.g. egredior et pluvia incipit cecidere; certe quod nulla est dependentia vel relatio inter exitum meum et pluviam: album etiam dicitur causa domus si aedificator sit albus. Unde occasio nihil omnino facit ad inducendum effectum sive disponendo sive meliorando, quantum ad rationem causae.

Ergo sic interpretari debet definitio S. Thomae: "causa est id ad quod sequitur esse alterius". "Id ad quod" non significat quodcumque ex quo sequitur aliud sed principium reale positivum. "Sequitur esse alterius" scilicet cum influxu et dependentia in esse quod specificat causam.

Quotuplex sit causa? Causa ut dictum est, est ratio explicativa rei; unde tot sunt causae quam rationes diversas propter quid rei. Philosophus in II Physic. text. 68 colligitur quatuor causas. Etenim fieri est recipere perfectionem quam non habetur. Unde necessitas causae alicujus dantis hanc perfectionem, nam si aliquid non possidet aliquam perfectionem non potest communicare illam. Causa autem ista extrinseca est et communicat, facit possidere, efficit hanc perfectionem: unde efficiens causa est.

Sed efficiens exercet influentiam suam in aliquid ut subjectum quod deest aliquam perfectionem. Nam aliquid perfectum non dicit ordinem

et non agit ad eandem perfectionem recipiendam; immo est proprium perfecti communicare suam perfectionem. Unde illud subjectum efficientis debet esse imperfectum, in potentia vel materia quae transformari potest; unde causa materialis est praecise "id ex quo aliquid fit sicut inexistens i. e. intus existens".

Causae materiali seu potentiae substantiali correspondet actus ejusdem ordinis: actus substantialis seu forma substantialis. Ita causa formalis est causa determinans et dans perfectionem vel actuationem materiae primae.

Denique agens efficiens supponit seipsum aliquem motivum determinantem seu rationem sufficientem essendi operationis sui. Sed cum efficiens sit primum in executione seu in ordine physico, oportet invenire in alio ordine nempe intentionis aliud agentem, assignantem propositum vel finem efficienti: et ita quarta causa habetur: causa finalis quae est prima in intentione, "id cujus gratia cetera fiunt". Proinde dicitur causa causarum.

Unde omnes hae causae diverso modo tribuit esse nempe efficiens, movendo seu ⁱⁿjugendo materiam et formam; materialis causa, recipiendo actuationem et mediante formam attingit esse; formalis causa, determinando et informando materiam; et finalis causa, finalizando et movendo intentionaliter efficientem causam. Causa autem non dicitur univoce de diversis causibus, saltem de caussitate earum sed analogice. Et cum causa efficiens tribuit esse physice principaliter nam materia et forma etiam dicuntur elementa compositi et finis non est in ordine physico, principaliter efficienti causae attribuitur nomen causae.

Exinde immediate tractabimus de causa efficienti, cui pertinet instrumentum de quo agitur in thesi. Dabimus aliquas proprietates et divisionem efficientis causae ad bonam intelligentiam et ad localizandam causam instrumentalem in ordine causarum.

2. De causa EFFICIENTI:

Cujuslibet causae consideratio consistit in quatuor scilicet quid sit actus primus seu constitutivum talis causae. Secundo quid sit actus secundus seu causalitas et quae sit conditio requisita ad causandum. Tertio quid sit effectus et causatus. Quarto quibus conveniat ratio hujus causae seu quotuplex sit haec causa. Sic procedemus pro causa efficiente, satis breviter tamen.

A- Causa efficiens in actu primo:

Communiter causae efficientis nomine intelligitur, id quod facit, producit (agens) aliquid et consequenter cui attribuitur aliquem rem. Ratio vero agentis non consistit in constitutivum essenziale et intrinsecum ipsius rei; neque in motivum determinantem positum. Agens enim est id quod diversa elementa applicando et uniendo pro fine attingere, constituit aliquem rem. Unde Aristoteles definit causam efficientem: "id unde primum est principium permutationis et quietis" (V Metaphys. text.1013 b) aut: "id a quo primo profluit motus" (II Phys. 3). "Id a quo" igitur exprimit genus definitionis. Sicut aliae causae, efficiens est principium (id a quo aliquid procedit). Differt a materia et forma per suam rationem extrinsecitatis in qua convenit cum privatione et fine. Etenim nulla potentia per seipsam reduci potest in actu; actus vero non provenit nisi ex ente in actu. Unde forma et materia quae constituunt rem intrinsece, non exerunt causalitatem earum nisi quia efficiens exerit suam, applicando formam materiae. Ly "primo profluit motus" est ratio specificativa efficientis in eo quod distinguit illud tum a privatione quam a fine. Privatio enim est principium a quo profluit motus; non vero principium primum vel per se sed per accidens quia privatio supponit subjectum in quo est. Et finis est ultima in executione scilicet est terminus motus. Unde id a quo primum inter omnes causas incipit motum seu fieri alicujus rei est efficiens causa. Explicitius autem cum P.Gredt definimus causam efficientem:

"principium extrinsecum a quo primo profluit motus."

Quoniam Aristoteles non cognosceret creationem, manifestum est, quod sua definitio efficientis causae non spectat nisi causam efficientem creatam. Haec enim operetur ex supponente subjecto nempe materia; nam secundum Aristotelem "ex nihilo nihil fit". Sed haec definitio applicari potest causae creatrici, quae causat ex nihilo i.e. ex nullo praecedente subjecto. Tunc motus erit motus metaphysicus scilicet transitio de non esse simpliciter ad esse simpliciter. Et sic "creatio non est mutatio nisi secundum modum intelligendi tantum".(I, q.45,a.2 ad 2).

Necesse est ergo, quaerere quid praecisius sit hunc principium unde primo profluit motus. In creatura enim invenitur compositiones materiae et formae; essentiae et esse; substantiae et accidentium. Porro principium potest esse completum vel parziale i.e. ut quo et ut quod. Oportet cognoscere a quo pendet effectus per se primo ad determinandam naturam causae. Unde in homine qui est perfectum agens super naturam, persona vel suppositum est principium totale, substantiale i.e. ut quod. Aliunde principium parziale (ut quo) substantiale est anima. Sed cum anima sicut persona non attingit immediate accidentale, delegat aliqua principia in ordine accidentali quae dicuntur potentiae animae. Potentia ergo vel principium accidentale est principium proximum quo effectus movetur; potentia actuata seu informata est principium proximum quod agens. Nunc volumus dicere impressionem vel influentiam horum diversorum principiorum super effectum.

"Anima, non irascitur, neque aedificat vel textit, sed homo" ait Aristoteles I de Anima. Hoc est in aliis verbis axioma cognitum: "actiones suppositorum sunt." Agens enim est ens constitutum seu per se existens et non ens per accidans; ergo est unum. Unde si constituit unum per se, operatio procedit ex toto agente i.e. ex ente uno. Non sequitur tamen quod constitutum formale suppositi scil. subsistentia influit ut principium operandi; sed ut

terminans et modificans ipsum principium reddensque illud operativum ut quod. Itaque "actiones suppositorum sunt", nihil aliud est quam subsistentiam perficientem et terminantem naturam constituitur principium operativum ut quod. Unde subsistentia non imprimat aliquid particulare in effectu; ideo effectus non dependet ab ea sola in natura ejus nisi ratione naturae specificae agentis.

"Quamvis operatio attribuitur hypostasi ut operanti, tamen attribuitur naturae ut operationis principio. Operatio autem non recipit speciem ab operante sed a principio operationis." (22 de Verit. a. 1 ad 3). Sed forma, cujus effectus formalis primarius est specificare naturam; secundarius est specificare potentiam vel principium operationis. Unde effectus correspondet naturae ejus vel assimilabit formae agentis. Hoc innititur in S. Thomae opusculo "de principiis naturae", ubi dicit: "notandum est quod tres causae possunt incidere in unum scilicet forma, finis et efficiens... Finis incidit cum forma in idem numero, quia est idem numero quod est forma generati et finis generationis; et cum efficienti incidere potest non in idem numero sed in idem specie." Efficiens enim est causa finis, quantum ad esse realisatum. Aliunde finis est causa efficientis non quantum ad esse ejus, sed quantum ad causalitatem ejus. Nam efficiens est causa in quantum agit, non autem agit nisi virtute finis; unde ex fine habet suam causalitatem et ordo agentium correspondet ad finium ordinem. Sed finis et forma coincidunt. Forma enim est finis operationis, et in effectu habetur forma finis; in agente autem finis formae, quia formae est movere. "Forma, enim, per quam res ordinatur in aliquem finem assimilatur quodammodo rem illam fini". (C. Gent. 3, c. 151). Ergo forma ultimam coincidit cum efficiente et determinat effectum. "Forma substantialis generantis est principium introducendi formam substantialem geniti." (C. Gent. 3.69)

Forsitan "extra opus" apparebunt istae considerationes. E contra ut videbimus infra, magnum momentum est pro thesi. Nam si natura deter-

minat actionem et mediante eam effectum, instrumentum quod ex natura sua non ordinatur ad effectum proportionatum sibi, indigebit aliquid additum. "Effectus, enim, sequitur a causa agente naturaliter secundum modum suae formae." (I,q.46,a.1. ad 9).

Nunc advenimus ad ultimum enuntiatum principium nempe potentias animae. Sicut forma substantialis est primum principium "quo" agens est, ita est primum seu radicale principium operandi, (Operari enim sequitur esse). Ideo inquantum forma substantialis determinat et specificat materiam primam habet rationem causae formalis; inquantum autem forma est principium operandi, habet rationem causae efficientis. "Forma substantialis, ait D.Thomas, est primum actionis principium, sed non proximum". (I,77,1 ad 4). Unde substantia creata saltem, requirit alia principia proxima quae sunt potentiae vel virtutes animae. Experientia constat enim saepe quod multa generari distantibus vel absentibus suis agentibus substantialibus: v.g. aurum in sinu terrae efficitur a sole; ex semine deciso ab animali, generati aliud animal, etiam mortuo, vel absente illo, a quo decisum est. Immo sicut anima vel natura semper est in actu, ita essent operationes ejus sine aliis principiis operandi. Ergo potentia est medium vel virtus quo operatur anima; nam nulla substantia creata immediate operativa est. Est accidens quoddam, participans vel agens virtute substantiae. Ita explicatur quomodo accidens ille attingat substantiam; non enim virtute sui sed virtute substantiae in qua radicatur. Et sic salvatur sufficienter contactus seu praesentia causae nam non semper requiritur immediationem suppositi, immediatio enim virtutis sufficit. Ita S. Thomas: "immutatio quae est ad formam substantialem non fit a forma substantiali immediate, sed mediantibus qualitatibus activis et passivis, quae agunt in virtute formae substantialis". (I,77,3 ad 3). Ideo potentiae dicuntur quasi-instrumenta inquantum agunt virtute substantiae; explicabimus hoc melius in aliquo corollario thesis. Unde si effectus dependet a potentia secundum

determinationem formalem accidentalem; ultimatim etiam ad formam assimilatur quoad substantiam ejus. Praeterea hoc principium proximum scilicet potentia realiter distinguitur ab anima; nam operatio enim ordinatur ad potentiam operativam sicut esse ad essentiam. Sed operationes multiplicari et variari possunt, non variata anima. Ergo actus substantialis (anima) et actus actus accidentalis (operatio) postulant potentias distinctas. Unde operatio non specificat nisi potentiam activam accidentalem, nam substantia specificatur absolute in se et non in alio.

B- De causalitate causae efficientis.

Exinde advenimus ad quaestionem de causalitate seu de actione causae efficientis. Omnis activa virtus creata miscetur passivitate seu potentialitate. Non est enim potentia semper activa nisi in actu primo; unde in potentia ad actum secundum. "Etenim neque effectus, neque relatio sufficientiunt constituere causam in actu agentem sed ulterius requiritur quaedam formalitas, quae dicitur actus secundus qui et causam ipsam respicit ut ab illa, et terminum seu effectum; ut ad illum, non respiciendo tantum, sed immutando vel producendo, unde non absolvitur ab aliquo extrinseco". (J. a S.Th. log. II, q. 19, a. 2). Ergo actio supponit aliquam actuationem agentis et immutationem effecti. Inutile est addere quod actio est accidens quia est in eodem genere quam potentiam. Sed ad determinandam formalissimam rationem actionis oportet quaerere subjectum formale ejus nempe in quo est actio formaliter; in agente aut in patiente?

Omnes admittunt quod actio est aliquo modo in agente et aliquo modo in patiente. Discrimen est ubi invenitur formaliter. Sine aliis praenotaminis nobis videtur quod actio formaliter est in patiente. Difficultas provenit speciatim ex diversa acceptione nominis actionis. Ita Albertus Magnus ait in V Metaphys. 5, c. 3: "Est autem advertandum hic, quod actio agentis, licet sit ab agente, et comparisonem dicat agentis ad patientem penes potestatem qua

agit sumptam, tamen pro certo est in patiente sicut in subjecto... sicut et motus est a movente in motum." Sed motus est formaliter in motu; unde pro Alb Magno actio formaliter est in patiente.

Porro actio ut actio non est propter perfectionem agentis sed propter immutationem effecti. Et tunc agens seu movens in quantum motum non est de ratione formalis agentis sed potius patientis. Etenim operans non denominatur agens in quantum reduci de actu primo ad actum secundum sed formaliter in quantum producit effectum. Unde quaedam distinctio poni potest inter "actionem" et "agere" scilicet actionem producentem. "Actio" esset autem tamquam actuatio agentis et "agere" formaliter causalitatem ejus. "Influere causae efficientis est agere." (de Verit. 22.a.2). Et etiam "actio est forma, quae in id quod subicitur denominatur agere." (opusc. "de actione"). Unde motus et actio ut agere non distinguuntur nisi realiter sed modaliter.

Ex his omnibus innititur clare prima conditio requisita ex parte agentis est existentia agentis: nam operatio supponit perfectionem in ordine essendi, quia ei subordinatur. Altera conditio est concursus divinus; nam nulla potentia seipsa reducitur de potentia ad actum, neque etiam ens participatum potest esse rationem entis ut ens. Unde duplex concursus divinus: unus quo Deus applicat creaturam ad agendum, praecedens actionem unde nomen ejus concursus praevius; alter quo simul cum creatura influit in esse actionis et effectus, causalitate reali creaturae nullo modo destructo, vocatur concursus simultaneus. Non est objectum nostrum explicare quomodo hoc fit. Denique conditio ex parte effectus est contactus actionis cum passo; nam actio est medium inter causam et effectum sicut potentia est medium inter naturam et actionem. Repugnat vero actio indistans, quamvis contactus seu praesentia virtutis sufficiat. "Nullius agentis quantumcumque virtuosus, actio procedit ad aliquid distans, nisi inquit. in illud per medium agit." (I, q. 8, a. 1 ad 3).

C- De effectu causae efficientis.

Natura effectus vero innititur a notione causae cuius dependet. Etenim ex eo quod causa est principium reale; immo actio quo operatur est entitas realis, immediate sequitur quod effectus est realis et verum ens. Unde entitative distinguitur a sua causa. Causa ut principium est prior suo causato; nam principium et principiatum sicut causa et causatus implicat ordinem prioritatis et posterioritatis, Licet solum agens in actu primo seu entitative prior est prioritatem temporis; causans in actu secundo seu formaliter semper habet prioritatem naturae, quae proinde dicitur prioritas causalitatis. Sicut indicant verba "productor" et "productus," "efficiens" et "effectus" causatus dependet realiter in esse a causa. Et cum dependeat a natura causae, quae est principium operationis, effectus habet similitudinem cum causa. "Agens, enim, agit sibi simile." Unde quidquid est in effectu oportet inveniri aliquomodo in causa efficienti - transeunter saltem: in instrumentali causa -. Vel secundum eandem rationem ut in causa univoca, vel eminentiori modo ut in causa analogica: effectus autem non consequitur speciem huius agentis sed aliquem ejus similitudinem quantum potest. Praeterea ista dependentia effectus a causa ostendit quod effectus imperfectior est suo producente formaliter ut productor. Nam entitative advenire possit quam causa sit imperfectior: v.g. instrumentalis causa quia non est principale agens sed ministeriale tantum. Ita confirmatur a D.Thoma: "Agens non semper nobilius patiente, simpliciter loquendo sed in quantum est agens: agit enim ferrum vel ignis in corpus humanum, quod est simpliciter nobilius; quo tamen ignis est nobilior in quantum est actu calidus, et secundum agit in corpus humanum. Nec iterum oportet quod instrumentaliter agens sit simpliciter nobilius effectu: quia effectus non proportionatur instrumento sed principali agenti, quod quandoque per vilia instrumenta nobiliores effectus inducit." (IV Sent. dist. 1, q. 1, a. 4 ad 3). Denique effectus idem numero producit a solo agente et non potest dependere a

pluribus totalibus causis, adaequatis, ejusdem generis et non subordinatis inter se. Nam "si plures enim causae de se quidem sint sufficientes ad totum effectum producendum, sed de facto uniantur, quasi partialiter ad aliquem effectum producendum, erunt quidem causae totales in actu primo sed non adaequantes se effectui in actu secundo. (J. a S.Th. Phil. nat.I,q.10,a.5).

D- Quotuplex sit causa efficiens?

His generalibus notis positis in quibus nulla est controversia, aggredimur divisionem efficientis ad localizandam causam efficientem instrumentalem. S. Thomas in V Metaphys. lect.2 dat quendam divisionem, quae attribuit Avicennae. Secundum arabum philosophum quatuor sunt modi causae efficientis, scilicet perficiens, disponens, adjuvans et consilians. Perficiens autem est causa efficiens quae ultimam perfectionem rei causat (causa principalis). Disponens non inducit ultimam formam perfectivam sed tantummodo praeparat materiam ad formam v.g. parentes disponentes corpus ad recipiendam animam. Non ergo dicitur instrumentum proprie loquendo ut vult speciatim Billot, qui per hanc causalitatem explicat "agere dispositive" D.Thomae. Adjuvans dicitur causa secundum quod operatur ad principalem effectum: differt a perficiente simpliciter seu principali, quia agit ad finem alterius, non ad finem proprium (causa instrumentalis). Consilians determinat finem et formam, et haec est habitudo primi agentis per intellectum ad omne agens secundum. Ista divisio ferre derelicta est hodie quoad terminos, et etiam Schola utitur alterae terminologiae.

Nolumus immorari circa diversas divisiones efficientis causae. Sufficiat enumerare et breviter eas definire. Ratione habitudinis cum effectu "per se" et "per accidens" dicitur efficiens, inquantum effectus adaequatur naturae ejus vel non: v.g. pictor qui picturam facit, effectus per se producit; inquantum vero cantat, cantare est effectus per accidens quia non adaequatur naturae pictoris ut pictor. Alio modo, quando operans secundum

rationem ejus formalem producit effectum alienum seu per accidens, qui vulgus attribuit fortunas v.g. effodiens terram, invenitur thesaurum.

Ratione subordinationis seu dependentiae dividitur in causa prima et secunda; principalis et instrumentalis. "Omnis effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa ejus. Sed considerandum est quod aliquod agens est causa sui effectus secundum fieri tantum, et non directe secundum esse ejus."(I,q.104,a.1). Unde dependet ab altera causa quae est causa directa esse effectus scilicet causa Prima. Analogice causa instrumentalis subordinatur principali; illa agit virtute alterius communicata, altera virtute propria. Unde Causa Prima seu Deus nullo modo subordinatur; principalis creata Deo subordinatur; instrumentalis, principali creatae et Deo mediante ea subordinantur.

Efficiens dividitur etiam in universali (analogia) i.e. quae plures effectus dissimiles habet; in particulari (univoca) i.e. quae effectibus unius speciei extenditur: in causa totali i.e. adaequata effectui; et in partiali i.e. partem effectus producit.

Ratione modi agendi dicitur causa physica et moralis. Physicum efficiens est proprie primum unde profluit motus in ordine executionis. Morale efficiens vero metaphorice i.e. moraliter tantum movet. Non agit in esse effectus sed in voluntatem a cujus dispositione vel efficaci pendet effectus et supponit causam operativam physicam. Etenim "motio metaphorica finis aliquibus moralis causa videtur."(J. a S.Th. Phil. nat. q.12,a.1). Non autem de moralitate causae agitur sed de causalitate morali. Ad hanc causam moralem, quae improprie dicitur efficiens, redigi possunt aliquo modo causae occasionales, quae non semper sunt causae per accidens.

En thomistica doctrina circa causam in genere, et causam efficientem speciatim. Haec dissertatio quae videri potest nimis extensam utilis et necessaria est ad bonam intelligentiam causalitatis instrumentalis.

Etenim jam aliquantulum scimus quod instrumentum debet influere positive in esse effectus cum dependentia illius erga ipsum. Porro inquantum causa efficiens nititur necessitas quam sit id unde primo profluit motus: non tamen primum simpliciter ut principale agens sed ministerialiter. Et hoc punctum speciale illuminat nempe in quo consistit hanc causalitatem deservientis. Praeterea causa instrumentalis sicut principium efficiens, constituitur a supposito cui attribuitur operatio ejus et porro operationem propriam habet. Effectus tamen non proportionatur seu assimilatur suae formae propriae et ideo non habet virtutem agendi nisi participatam. Sed actio ejus distinguitur realiter ab ipsa essentia; est formaliter subjective in passio et eadem conditiones nempe existentia et contactus exiguntur. In uno verbo causa instrumentalis est vera causa efficiens; ergo omne quod diximus de causa et efficiente applicatur instrumento formaliter, alio et alio modo secundum suam formalitatem specialem.

3. De causa INSTRUMENTALI:

Praenota: A) De notione instrumenti.

Causa principalis est ea quae producit effectum realem et cui effectus proportionatur vel assimilatur; nam agit secundum suam propriam formam. Causa vero instrumentalis non implicat nisi rationem utilitatis vel mediis ad aliquem effectum producendum. Sed medium non producit nisi deserviens agenti principali ad determinatum effectum ab eo. Unde sicut omne medium, nunquam instrumentum aestimatur vel desideratur propter se sed tantum propter determinatum finem attingendum. Effectus igitur qui est aliquis finis, non assimilatur causae instrumentali sed potius cui quo specificatur vel determinatur. Ita contemplando picturam, non dicitur: hoc est talis calami opus; sed, hoc talis pictoris opus, licet necessario ille utitur calamo quodam ad illam pingendam. Unde "efficiens causa duplex est, principalis et instrumentalis. Principalis est cui proprie et simpliciter attribuitur actio; instrumentalis, qua principalis ad agendum utitur." (Fons.Met.1.V.c.II).

Quod datur causa instrumentalis, in natura rerum, experientia constat. Non necessarium est investigare omnes inventiones modernas vel implicatas machinas ex quibus producuntur celeriter et abundanter varios et perfectissimos productos. Simplex exemplum S.Thomae securis nobis sufficit ad illustrationem. Securis posita in terra nullum motum habet. Tamen distinguimus in ea suam formam specialem acuitatis; scimus vero quod per applicationem vel motionem et per acuitatem suam scindit securis. Sed hic et nunc nihil facit. Ecce vero carpentarius, qui in sua manu capit securem, vigorose applicat eam in ligno sed dirigendo eam tali modo quod scammum oritur ab actione ista. Unde concludimus quod securis (instrumentum) sine interventione carpentarii nihil fecisset; sine applicatione non exercisset acuitatem suam; tandem neque attinisset vel perficisset effectum excedentem: scammum. Scammum enim est artificiale opus quod exigit intelligentiam mensurae, proportionum etc.,

quod superat naturam securis. Ex hoc simplici exemplo patet quod datur instrumentum quod vere causat in suo genere effectum altiore sibi. Hoc phenomenon quod experientia constat, a philosophia etiam confirmatur ut probabimus in thesi. Jam vero aliquantulum scimus quod "causa instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento sed principali agente." (III, q. 62, a. 1). Etiam instrumentum non communicat suam formam seu similitudinem suam sed servit ad communicandam formam alterius scilicet superioris causae. Ita D. Thomas loquitur: "Considerandum est quod cum sint causarum quatuor genera, materia non est principium actionis, sed se habet ut subjectum recipiens actionis effectum. Finis vero et agens et forma se habent ut actionis principium, sed ordine quodam. Nam primum quidem principium actionis est finis qui movet agentem; secundo vero agens; tertio autem forma ejus quod ab agente applicatur ad agendum (quamvis et ipsum agens per formam suam agat), ut patet in artificialibus. Artifex enim movetur ad agendum a fine qui est ipsum operatum, puta arca vel lectus, et applicat ad actionem securim quae incidit per suum acumen." (I, q. 105, a. 6 ad 5). Exinde nititur instrumentum aliquantulum est medium inter principale agens et effectum sicut principale agens est medium inter finem et effectum.

His dictis haec definitio instrumentalis causae proponi potest. Negative: illa quae non determinat, neque adaequat effectum, nec agit virtute propria. Positive: illa quae inservit alteri a quo movetur et elevatur ad effectum altiore causandum.

B) Quotuplex sit?

Ex definitione data supra de instrumento nempe causa subordinata alterae, cui ministrat et a qua movetur seu a qua dependet, multae divisiones dari possunt. Nam omnis combinatio causarum inter se, quatenus una subordinatur alterae dici potest instrumentum. Tamen secundum usum loquendi non dividitur nisi tripliciter: logicum, morale et physicum. Verba ipsa indicant quod dif-

ferunt haec instrumenta secundum ordines intellectus, voluntatis et naturae physicae. Etenim signum quod significat vel dat cognitionem significatus adimplet munus instrumenti respectu intellectus. Ita ad convocandam religiosam ceremoniam, aes campanum pulsat. Alio modo morale instrumentum non requirit aliquid reale sed sufficit aliqua denominatio extrinseca; unde supponit agens physicum constitutum, quod ratione istae denominationis extrinsecae vel motionis moralis aut finalizantis dicitur instrumentum alterius. Ita virtute pacti vel designationis, aliquis causa physica operatur. Causa moralis instrumentalis autem non est nisi conditio requisita et metaphorice modo dicitur instrumentum. Illae duae causae instrumentales scilicet moralis et logica, saepe inter se quasi commisceantur: ita legatus regis significans vel repraesentans regem; ideo instrumentum est, ratione hujus respectus logici: quatenus vero agit seu habet potentiam aliquid foedus concludere secundum regis iussione[m], est instrumentum morale. Denique instrumentum physicum est causa efficiens subordinata alterae causae efficienti, cui ministrat et a qua movetur physice seu realiter. Ad illud reducitur etiam potentia agendi substantiae, quae quamquam non moveatur a substantia efficienter proprie loquendo; est tamen virtus qua agit substantia; ideo quasi-instrumentum physicum dicitur. De hoc dicemus in aliquo corollario. De instrumento stricte dictum seu physico agitur in thesi.

Certe quaestio quatuorplex naturaliter sequitur quid sit rei. Logicius autem esset cognoscere praecise quid sit instrumentum ante dividere eum. Tamen in cursu dissertationis, allusio fit ad diversa instrumenta ut illustratio vel confirmatio; unde propter claritatem demonstrationis mihi videtur oportunum esse immediate supponere ista diversa instrumenta physica nempe: artificiale, naturale et supernaturale. Quatenus enim causa principalis est ars aut natura (Deus ut auctor naturae) aut Deus ut auctor ordinis supernaturalis, haec divisio determinatur. Ars non potest movere nisi mechanice et localiter et applicando activa passivis: ita serra est instrumentum artificiale quod

impulsu mechanico movetur ad lignum secandum, similiter penicillus, malleus; natura autem agit vel operatur mediantibus viribus naturalibus quae elevatur ad operandam naturalem vitam. Deus vero ut auctor ordinis supernaturalis naturam movet ultra ordinem naturae ad effectus supernaturales producendos, ut in Sacramentis. Unde haec tria genera causae instrumentalis sunt physica seu proprie dicta instrumenta. Sic dividitur instrumentum essentialiter.

Quasi-accidentaliter implicat alteram ordinationem: instrumentum conjunctum, ut dicit verbum, unitum agenti moventi v.g. secundum sacram theologiam Humanitas Christo, et etiam manus corpori, baculus vel malleus percutienti; et instrumentum separatum nempe quod post receptionem motionis agit independenter entitatis causae principalis v.g. sagitta separata a sagittante, semor decisum ab animale vel alio vivente. Praeterea aliquando instrumentum separatum movetur mediante instrumento conjuncto sicut sagitta mediante arco. (III, q.64,a.5).

Oportet etiam notare quod agens intelligens non necessario morale instrumentum constituit. Nam physicum non identificat cum materiali neque intelligens cum morali. Secus numquam Deus, qui est summum intelligens, ageret realiter seu physice. Quando vero homo non elicit intentionem neque faciat eam quia approbat eam, sed solum executat eam, instrumentum vere autem est. Difficultas specialis provenit ex libertate intelligentis agentis, vi cuius sese determinat et habet responsibilitatem actionis suae. Nihilominus inquantum solum executat intentionem alterius proprie instrumentum est; nam "instrumento competit sola executio actionis".(I,q.18,a.3). Et sic "l'intelligence et la volonté dont l'instrument peut-être doué par sa propre nature ne sont que des qualités accidentelles à son rôle instrumental; comme instrument il ne meut que parce qu'il est appliqué au sujet patient.-Movens motum-." (De Règnon:"La métaphysique des causes, p.477). Exinde aliqua divisio innititur: instrumentum animatum et inanimatum. Agens idem porro instrumentum et principale agens

fieri potest non tamen sub eodem respectu. Ita architector enim qui determinat aedium aedificandarum descriptionem, constituitur principale agens respectu opificum, qui realisant eam; sed ipsi opifices, instrumenta architectoris, fiunt principales agentes respectu materiae nempe lapides, arenatum, lignum etc. Denique duae causae possunt invicem mediante eodem instrumento, esse instrumentalem et principalem. Rex, ambitiosus vult bellum ad provinciam subeglandam. Aliunde generalis ejus vult etiam bellum sed ad locupletandum mediante direptione et excitat autem regem ad bellum. Unde rex, est principalis causa victoriae, generalis tantum instrumentum; aliunde generalis est causa principalis direptionis, rex tantum causa instrumentalis. Ergo datur idem instrumentum sed intentiones seu fines communicatae diversae sunt.

En ergo principalia genera instrumentorum, quorum notio sufficit ad persequendam investigationem nostram circa naturam instrumenti.

Ad thesim: A) Instrumentum in actu primo.

Principia generalia.-Post haec prologomena circa instrumentum communiter intellectum, venit quaestionem de constitutivo formali instrumentalis causae. Jamvero scimus quod omnis causa constitui debet entitative ante operari; nam causa est principium positivum, unde aliquid procedit realiter cum dependentia in esse. Ita materia prima ut entitas ut "quo" est potens recipere formam et esse mediante ea; forma etiam ut entitas ut "quo" actualis per seipsam potest actuare materiam; et finem finalizare agentem. Unde quamvis entitas vel natura aliqua ordinetur et proportionetur effectui, non dicitur ipso facto operari effectum, sed potens operari effectum. Sed cum sit entitative constituta vel in actu, (speciatim efficiens, nam actio est agentis in actu), ipsa natura autem dicitur in actu primo scilicet in potentia ad actum secundum. Nullum ens enim creatum semper agit; nam omnis potentia activa creata miscetur potentialitatis.

Omnes auctores conveniunt quod in omni causa effective operante, prius causalitatem et efficientiam ejus requiritur virtus activa seu activitas qua constituatur in actu primo in ordine ad effectum producendum. Nulla enim substantia immediate operativa est et virtus activa i.e. actus primus proportionari debet vel in eodem ordine quam actus secundus. Nam potentia et actus proprius ejus in eodem ordine vel natura sunt. Aliunde actus secundus vel actio specificatur per terminum et effectum suum. Ergo ultimatum in omni causa efficiente oportet quod sit ordo et habitudo ad effectum et quod actio exeat naturaliter a tali causa seu ab entitate ejus. Et actio, ut exeat ab aliqua causa, requirit in illa actualitatem sufficientem emittendi ex se talem actionem quae comparatur ad principium ut actus secundus: ergo oportet causam habere principium, quod sit actus primus et hoc est activitas, seu virtus constituens causam efficientem in ratione principiantis actionem et emittentis eam.

Determinare autem quid sit in aliqua causa hoc principium agendi vel activitas seu actus primus est jam invenire constitutivum formale hujus causae. Nam in activitate vel principio agendi continetur potentialiter omnis quod est in actione actualiter. Proinde potior pars dissertationis reponitur in hac quaestione nempe quid constituit instrumentalis causa in actu primo.

Specialis difficultas in instrumento provenit ex eo quod omne instrumentum producit effectum nobiliorem se; ideo non secundum naturam suam: consequenter per seipsam non constituitur in actu primo. Signum enim ut tale imperfectius est quam significatum et tamen conducit in hujus cognitionem; denominatio extrinseca vel moralis validat pactum conclusum virtute illius; penicillus imperfectius est etiam quam picturam. Logica hanc virtutem signi explicat per relationem signi ad signatum; et moralis docet quod motivum altioris vel participationem potentiae altioris nobilitat actionem. De instrumento physico dubium est, quomodo constituitur haec potentia vel haec activitas in actu primo. Requiritur aliquid reale, quia realiter seu physice instrumentum ordinari ad

effectum; tamen aliquid reale quod non instrumentum constituit principale agens. Immo aliquid reale ex parte principii agendi; nam "agens instrumentale et principale non ratione diversorum effectuum quos producant, sed ratione diversi modi attingendi eundem effectum distingui, sicut patet in securi: nam idem quod attingit artifex, attingit securis; sed ille per formam propriam; haec per applicationem motionis ejus et quasi deferendo ejus actionem ad effectum; quod est ministeriale respectu principalis agentis". (J. a S. Th. Curs. Theol. disp. 24, d. 8). Unde fere omnes admittunt instrumentum attingere effectum altiore sibi et sic confirmatur a S. Thoma: "Sciendum est quod actio instrumenti quandoque pertingit ad ultimam perfectionem, quam principale agens inducit, aliquando autem non; semper tamen pertingit ad aliquid, ultra id quod competit sibi secundum suam naturam." (IV Sent. dist. 1, q. 1, a. 4 q. 1). Ratio hujus est quia si instrumentum non attingit effectum perfectiorem, seu ultra suam virtutem, ergo solum attingit id in quod potest sua natura; consequenter esset causa principalis. Non tamen in hoc solo consistit instrumentum; immo non est ratio formalissima instrumenti. Nam multae sunt causae, quae attingunt effectum altiore et non sunt causae instrumentales; sicut aqua vel ferreum calidum calefacit, effectum (calorem) producit qui superat suam naturam scilicet entitatem aquae et ferrei. Etenim agens per se vel principale dicitur agere "per aliquam formam sibi inhaerentem per modum naturae completae sive habeat illam formam a se, sive ab alio, aut naturaliter aut violenter; per quem modum dicuntur illuminare sol et luna; calefacere ignis et ferrum ignitum aut aqua calefacta." (de Verit. 27, 4.).

Sed tripliciter agens dici potest operari in virtute propria:

a) cum virtus sit proprietas radicata in subjecto et ut sic dicit ordinem ad sibi simile adaequatum, sicut homo intelligit per intellectum qui est virtus propria ejus. b) etsi aliqua virtus non sit proprietas, tamen est completio virtutis radicalis propriae sicut species impressa intellectiva actuans intellectum; character in Sacramentis; caritas in actione meritoria voluntatis nostrae. c) cum

virtus recipiatur in aliquo tamquam in subjecto; ideo neque est proprietas neque complementum proprietatis, et tamen obtinet esse permanens (relative) et completum sicut aqua calida ab igne recipiens calorem, et principaliter seu univoce calefacit.

Ergo virtus quae constituere debet instrumentum omnino oportet diversa sit nempe neque proprietas neque completio proprietatis, neque virtus completa recepta. Quid igitur potest constituere instrumentum formaliter ut principium agendi i.e. in actu primo? Responsiones diversae sunt secundum auctores.

Sententiae:- Nominare tantum volumus sententiam quae attribuitur Maestro et Fonseca V. Metaphys. c. 2, q. 6, qui docuerunt instrumentum (physicum) omnino non attingere effectum principalis agentis, sed producere dispositionem tantum ad hunc effectum. Sufficit haec indicatio, nam contra experientiam sensibilem tum in artificialibus, puta serram quae producit scannum tum in naturalibus, puta calorem in animalibus quae generat carnem tum in supernaturalibus ut docet fides. Forsitan hic obscurus textus S. Thomae fundavit vel potius erravit eos: "Sciendum est quod actio instrumenti, quandoque pertingit usque ad ultimam perfectionem, quam principale agens inducit; aliquando autem non; semper tamen pertingit ad aliquid ultra id quod competit sibi secundum propriam naturam sive illud sit ultima finis sive dispositio." (IV dist. 1. q. 1, a. 4) et alio loco "Quod virtus agentis principalis respicit principaliter terminum ad quem, sed virtus causae instrumentalis non attingit ad terminum ad quem, sed habet operationem suam in his quae sunt circa terminum a quo, sicut qualitates activae elementales non attingunt ad animae rationalis introductionem. (IV dist. 8, q. 1, a. 3 ad 5.).

Nihilominus supponimus instrumentum revera attingere effectum principalis agentis. Et autem tres sunt solutiones ad quaestionem nostram, secundum diversas scholas: Scoti, Suarezii et S. Thomae.

Sic primo arguit Scotus: instrumentum nullo modo agit virtute propria; sed tantum per virtutem principalis agentis: ergo omne quod non est de virtute principalis agentis in instrumento, non est de ratione formali instrumenti. Immo si instrumentum ageret quocumque modo ex virtute propria, ageret principaliter; nam agere secundum formam vel virtutem propriam est principaliter agere. Ergo si nihil agit in instrumento praecise ut instrumentaliter agat, sufficit subordinatio et motio extrinseca principalis agentis ad constituendum instrumentum in actu primo.

Praeterea instrumentum non agit per virtutem propriam sed per virtutem ipsius causae principalis sibi conjunctam et applicatam. Unde non requiritur aliqua virtus recepta in instrumento, sed sola extrinseca subordinatio et conjunctio cum virtute principali sufficit. Et probatur ita: quaecumque virtus posita in instrumento, non est virtus causae principalis, sed ab illa distincta; nam repugnat migratio accidentium. Ergo non per aliquam virtutem alienam instrumentum agit effectum principalis causae; sed neque per virtutem propriam: unde per talem subordinationem constituitur instrumentum in actu primo i.e. in activitate, qua possit producere effectum principalis causae.

Praeterea de facto, ex conjunctione ad causam superiorem sine aliqua motione addita de novo instrumento, causa inferior producat effectum excedentem suam propriam virtutem; ergo superfluum est aliquam virtutem superadditam ponere in instrumento. Antecedens multis exemplis constat: calor in animalibus producat carnem, virtute conjunctionis cum anima; similiter in naturalibus et supernaturalibus et artificialibus instrumentis. Ergo sufficit subordinatio vel conjunctio ad principale agens, ut causa instrumentalis producat effectum superiorem sibi.

Ex his argumentationibus, quas referunt Cajetanus et J. a S. Thoma, ut Scoti mentem, habetur primo quod Scotus et scotistae nullam actionem propriam tribuunt instrumento ut instrumentaliter agat. Praeterea ad explicandum

quomodo attingit effectum superiorem, subordinatio vel "To" assistentia extrinseca sufficit. Constat enim in artificialibus tantum motum localem datur, et instrumentum attingit effectum; ideo non oportet implicare rationem aliorum instrumentorum. Proinde scotistae docent quod instrumentum constituitur formaliter in actu primo virtute subordinationis causae principalis; agit et attingit effectum ratione assistentiae extrinsecae quae assimilari potest ad motionem moralem.

Suarezius cum quibusdam aliis venit post et invenit insufficientem hanc solutionem. Etenim "...haec autem aptitudo (ad agendum) necessario debet fundari in aliqua potentia activa intrinseca, quae ex parte instrumenti supponatur, ut per illam possit simul agere cum principali agente; nam sola denominatio extrinseca non potest ad hoc esse sufficiens..."(t.18, disp.31, sect.6). Neque admittit quod virtus instrumenti est motio physica. Sic continuatur in n.17 loco citato: "Imo etiam, quando talis motus adhibetur, non potest ille secundum proprias vires naturales considerare constituere divinum instrumentum (similiter pro aliis) in actu primo ad supernaturale efficiendum: quia imperfectior est talis motus, quam res quae ille afficitur seu movetur: ergo neque ille potest esse virtus activa naturalis ad talem actionem et effectum, neque entitas ipsius instrumenti ut sic mota." Et sic confirmari potest per sermonem aliquem metaphysicae 17 disp. sect.2, n.14 ubi admittens quod probabilius esse phantasma sit causa instrumentalis, exclamat se: "Quam actionem in se prius recipit ut agat? Numquid recipit in se aliquod spirituale lumen? At id fictitium est, et subjecto materiali plane repugnans." Porro dicit instrumentum artificiale non sumi potest ut fundamentum aliorum instrumentorum quia motus receptus in eo non sit nisi applicatio et conditio requisita, ut possit, per instrumentum, aliud corpus hoc vel illo modo movere.

Praeterea proponit suam doctrinam, ostendendo non repugnantiam potentiae obediencialis activae. Potentia enim naturalis dicit ordinem ad effectum

naturales; potentia obediencialis activa ad effectus superiores. Quid repugnat
 Omne instrumentum participat causae principalis sicut res creata participat sur-
 mi et primi entis, et ex hoc habet ei obedire; sed summum ens habet virtutem
 activam ad opera supernaturalia (pro sacramentis speciatim); ergo participati-
 ve potest esse talis virtus in creaturis, quae participantur a Deo.

Denique insufficientis est potentiam obediencialem passivam.
 Nam potentia obediencialis in instrumento est aliqua positiva inclinatio, et
 habitudo ad effectum altiorem; atqui potentia obediencialis passiva seu non re-
 pugnantia non potest constituere positivam inclinationem et habitudinem ad ef-
 fectum altiorem. Ergo instrumentum non constituitur in actu primo per talem po-
 tentiam obediencialem. Ad majorem. Potentia obediencialis non est aliquid su-
 peradditum entitati creaturae, sed ipsa entitas creaturae secundum quod subji-
 citur et obeditur principali agenti. Sed si entitas non dicit ordinem positi-
 vum ad effectum non constituit principium agendi nempe non constituit instru-
 mentum in actu primo. Ergo non sufficit potentia obediencialis passiva. Minor
 patet ex terminis; nam passivitas opponitur activitati vel ordini positivo.

Suarezius igitur primo non admittit neque subordinationem ex-
 trinsecam, quia insufficientis est; neque motionem physicam, quia repugnat, ut
 ratio formalis instrumenti sed potentiam obediencialem activam. Quid sit haec
 potentia obediencialis activa; "Respondetur, ait Suarezius, non esse aliquid
 a rebus distinctum, sed in unaquaque re creata ipsamet entitatem per seipsam
 esse hanc obediencialem virtutem." (l.c.). Unde omne ens habet hanc potentiam
 obediencialem activam sed aliud remotam tantum; aliud ut instrumentum proximam.
 Admittit certe motionem, non tamen in ea consistit ratio instrumenti; est tan-
 tum applicatio vel aliqua conditio vel completio hujus virtutis obediencialis.
 Ergo tota ratio formalis instrumenti invenitur intrinsece, et ideo per hanc o-
 bediencialem activam potentiam constituitur instrumentum in actu primo. Ita
 Suarezius.

Sese elevantes super haec duo extrema nempe "extrinsecismum" Scoti et "immanentismum" Suarezii, Thomistae tenent quod causa instrumentalis constituitur in actu primo proximo, per praemotionem physicam intrinsece elevantem, vel qualitatem vel motum virtuosum vel entitatem vialem et transeuntem, ad effectum sibi nobiliorem producendum.

Sic sensit D. Thomas in III, q. 62, a. 1: "Causa instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum quo movetur a principali agente"; et in quaestione sequenti a. 4 inquit: "Instrumentum non operatur nisi in quantum motum a principali agente quod per se operatur et ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura, virtus autem instrumentalis, habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum sicut et motus est motus imperfectus ab agente in patiente."

Et item docent communiter thomistae: Capreolus in IV dist. 1 q. 1, a. 4: "...Et instrumentum non agit nisi motum, et per virtutem receptam a principali agente"; Cajetanus in Comment. III, q. 62, a. 4, n. 4: "Motus virtuosus autem est ille qui ex parte moventis, ultra potentiam motivam exigit artem, seu aliquid proportionale arti; ex parte vero termini, ducit ad effectum principalis agentis, puta artis, seu alicujus proportionaliter se habentis, sicut ars se habet ad instrumenta sua"; J. a S. Thoma in Curs. Theol. disp. 24, a. 1, d. 8: "Instrumentum constitui in actu primo per motionem receptam, quae motio sit virtus creata per modum motionis seu intentionis et per modum transeuntis communicata instrumento"; ita Salmanticenses, Conet, Gredt etc., etc.

Ergo autumant quod si aliquando agens agit effectum superiorem sibi, debet elevari per aliquid sibi realiter superadditum, sive sit qualitas, sive motio virtuosa, sive quid aliud: de quo in sequentibus paginis. Ideo instrumentum non habet in se capacitatem vel potentiam ad agendum effectum excedentem; (contra Suarezium), sed recipit intrinsece aliquam virtutem elevantem (contra Scotum). Unde recte dicimus quod sese elevantes thomistae super haec duo extrema,

nam concedunt motor vel agens principale vere movens exinde extrinsecum est; aliunde intrinsece immutatur instrumentum. In medio iterum stat veritas. Nam effectus supponit principium agendi vel causa proportionatum; et instrumentum non proportionatur per se. Sed assistentia extrinseca non affectat neque roborat instrumentum ut principium agendi; et potentia obediens activa repugnat. Refutabimus has oppositas sententias in corollaria post positionem thesis nostrae quae docet instrumentum constitui formaliter in actu primo per praemotionem physicam elevantem, transeunter sibi communicatam. Immediate apparet quod instrumenti ratio formalissima est "inquantum motum" et non solum productio effectus superioris. "...Alio modo aliqui operatur ad effectum aliquem instrumentaliter, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhaerentem, sed solum inquantum est motum a par se agente. Haec enim est ratio instrumenti, inquantum est instrumentum, ut moveat motum: unde sicut se habet forma completa ad per se agentem, ita se habet motus quo movetur a principali agente, ad instrumentum, sicut serra operatus ad scammum."(de Verit. q.27, a.4.). Hic applicari potest haec nota P. De Règnon: "Qui de nous n'a été déconcerté en entendant Aristote ou S. Thomas affirmer quelque grand principe, et pour toute preuve apporter un ou deux exemples tirés de phénomènes matériels et grossiers? - Eh! quoi avons-nous pensé, si peu de faits et des faits si petits suffisent-ils donc pour qu'un si grand principe soit admis sans conteste? - Non répondent saint Thomas et Aristote, si vous considérez ces faits comme formant un raisonnement par induction: oui si par l'induction votre esprit sait dégager l'universel mêlé confusément et comme noyé dans les propriétés particulières."(op.cit.).

Volumus igitur liberare vel invenire universalitatem principii causalitatis instrumentalis, examinando diversa instrumenta.

De natura entitatis instrumentalis:- Sicut omnis causa creata, instrumentum reducit debet de potentia ad actum ante suam operationem. Immo ex natura sua non constituitur principium operandi respectu effectus ejus nempe effectus excedentis. Unde nititur quam haec actuatio vel determinatio specialis est et differre debet actuationis causae principalis, cui assimilatur effectus. Aliunde instrumentum est vere causa efficiens. Unde saltem prioritatis naturae constitui debet principium agendi et intrinsece scilicet naturam suam oportet ordinari positive ad effectum: secus instrumentum non esset autem nisi conditio vel occasio. Tale ergo est munus vel officium entitatis instrumentalis quam declamamus esse praemotionem physicam elevantem et receptam transeunter. Quia haec entitas non est ens completum definitio non dari potest de ea cum genera et differentia specifica.

Primo est PRAEMOTIO PHYSICA. Distinguimus enim duplicem concursum; unus qui identificatur cum actione seu simul causa causante et ideo vocatur simultaneus: alter qui determinat causam ante omnem activitatem et ideo vocatur praevious i.e. praemotio. Physica i.e. realis et non solum moralis quae movet per persuasionem, illa per modum perficientis. Enim "motio principalis agentis elevans instrumentum etiam in instrumentis quae movetur a Deo, est aliquid praevious in instrumenta distinctum a concursu simultaneo." (J. a S. Thoma Ph. nat. I, q. 26, a. 1). Quid sit igitur praemotio?

"Quoniam autem, inquit D. Thomas, natura est principium motus et mutationis, scientia de natura est: oportet non ignorare, quid sit motus: necessarium enim est ignorato ipso et ignorari natura." (Phys. III). A fortiori de praemotionis cognitione quae est principium proximum motus, oportet non ignorare quid sit motus. Praeterea virtus instrumentalis motui comparatur et pro discussione infra bene intelligi debet motus.

Motus definitur ab Aristotele: "actus entis in potentia prout in potentia." "Actus" distinguit illud ab ente in potentia simpliciter, abstractionem faciens ab actu perfecto vel imperfecto; "entis in potentia" i.e.

subjecti existentis sed in potentia ad aliud haec est ratio entis imperfecti; "prout in potentia" i.e. quod tendit hic et nunc ad ulteriorem terminum. "Motus autem non est ens completum sed est via in ens, quasi medium quid inter potentiam puram et actum purum."(III phys.)

Motus qui est postpraedicamentum sumi potest: a) pro forma in "fieri"; nam forma potest esse imperfecta comparative ad aliam perfectiorem (decem gradus caloris comparative ad centum) et sic reducitur in praedicamento termini. Ita D.Thomas in XI Metaphys.lect.3:"Motus non habet aliquam aliam naturam separatim a rebus aliis, sed aliqua forma, secundum quod est in fieri, est actus imperfectus qui dicitur motus." Et habetur autem motus localis, alterationis et augmentationis. b) pro ipsa modalitate motus generalissime i.e. pro statu tendentiae seu imperfectionis generalissime. Motus hoc modo sumptus est postpraedicamentum formalissime et ad nullum praedicamentum reduci potest, sed tanquam analogum ad plura praedicamenta spectat.

Unde motio physica est actus moventis ut activi (ex parte agentis moventis) et actus patientis ut passivi (ex parte subjecti moti). Etenim agens jam debet constitui in actu essendi saltem et non requirit nisi applicationem ad actum secundum. Sed entitas physicae praemotiois neque ipsa potentia operativa, neque ipsa operatio est sed quodammodo medium inter potentiam et actionem. Participat aliquid de natura utriusque, quia ejusdem generis sunt medium et extremae (III,q.11,a.5) et physica praemotio est formaliter complementum virtutis operativae et inchoatio ipsius operationis. Ideo potest reduci ad naturam operationis quia est actus in fieri sed quoad naturam specificam reducitur ad speciem ejus ad quod terminatur motus. Notetur D.Thomas nunquam uti verbo "praemotio" et recte; quia motio ex conceptu suo dicit prioritatem; "motio moventis praecedit motum mobilis ratione et causa"(III,C.Gent. c.149). Unde praemotio est aliqua tautologia. Sed justificatur ex eo quod aliqui (adversarii) intelligunt aliquam motionem non praeviam.

Haec praemotio est praemotio est praemotio proprie dicta seu simpliciter.

Restat tamen quod praemotio instrumentalis ut praemotio physica est: a) aliquid receptum quia non redderet instrumentum virtuosior quam antea; b) aliquid causatum a movente nempe causa principali et ideo creatum; c) aliquid reale causatum prioritatem naturae et causalitatis quam ipsa operatio et sic instrumentum constituitur ratione causae; d) aliquid reale causatum per modum impressionis transeuntis seu via tendentiae; e) aliquid causatum per modum actuantis, perficientis.

Secundo est PRAEMOTIO PHYSICA ELEVANS. Et in hoc consistit ratio formalis entitatis instrumentalis. Etenim causa secunda etiam principalis praemovetur a causa prima. Unde oportet praemotionem causae principalis differre a praemotione instrumentalis causae. Causa principalis agit secundum formam suam et ideo ut sic constituitur in actu primo seu habet in se formam seu principium suae operationis. Sed haec forma seu principium non est semper agens ut experientia constat; ergo ante operari est potens seu in potentia ad actum secundum. "Id autem quod exit de potentia in actum, requirit actum praecedentem in agente, a quo reducitur in actum." (IX Metaphys. lect. 7). Ergo praemotio requisita est tantum actuatio vel motio actus primi tali modo quod causa tendit vel applicetur ad actum secundum. Etenim haec praemotio neque est actus primus neque actus secundus sed dicitur "actus secundus causalis". Est igitur simplex motio physica requisita ad agendum nempe conditio vel concausa sed non principium operationis.

E contra praemotio physica instrumentalis est virtus immediate operativa i. e. principium proximum agendi. "Instrumentalis causa non agit per virtutem suae formae sed solum per motum quo movetur a principali agente." (III, q. 62, a. 1). Sed patet quod naturam hujus motionis non esse eandem quam simplicem motionem. Ratio hujus est quod instrumentum de se insufficiente est, ad effectum superiorem producendum. Nequit autem illud efficere, nisi adjuvetur, et elevetur

per aliquid sibi realiter, et intrinsece superadditum. Unde haec praemotio debet esse elevans aut virtuosa. Et cum ante applicationem ad actum secundum, instrumentum in actu primo constitui debet; ergo ratio elevantis formaliter distinguit entitatem praemotionis instrumentalis ab entitate praemotionis recepta in principali causa. Importat hic notare quod semper motio instrumentalis causae est elevans seu virtuosa et in hoc consistit ratio specifica ejus. Etiam in instrumento inanimato in quo distinguuntur motus localis simplex et motus localis virtuosus seu instrumentalis. Primum non constituit instrumentum formaliter instrumentum, sed quasi principale agens. Exemplum utriusque motus perspicitur in cithara, cujus fides si moveantur a non-musico, sonabunt tantum (secundum leges naturales physicas); si vero moveantur a musico, efficiunt non solum sonum, sed sonum musicum, qui est effectus excedens suam formam et ita proprie arti musicae quae est in musico. Unde in hoc ultimo cithara participat virtutis musici et sic roborata seu confortata attingit effectum superiorem. Ita Cajetanus in Comm. III, q. 62, a. 4, n. 4: "Est siquidem instrumenti simplex motus ille ad quem ex parte moventis sufficit potentia motiva; ex parte vero termini, naturalis effectus instrumenti. Motus autem virtuosus est ille qui ex parte moventis, ultra potentiam motivam, exigit artem seu aliquid proportionale arti; ex parte vero termini, ducit ad effectum principalis agentis, puta artis seu alicujus proportionaliter se habentis, sicut ars se habet ad instrumenta sua." Instrumentum vero animatum non indiget hoc duplici motu nempe localis quia movet seipsum. Ita instrumentum inanimatum agit per motum tantum (virtuosum tamen); dum animatum sub uno respectu movet seipsum. "Instrumentum inanimatum non habet aliquam intentionem respectu effectus; sed loco intentionis est motus quo movetur a principali agente. Sed instrumentum animatum, sicut est minister, non solum movetur, sed etiam quodammodo movet seipsum in quantum sua voluntate movet membra ad operandum; et ideo requiritur ejus intentio, qua se subiciat principali agenti." (J. a. S. Th. Curs. Theol. disp. 24. d. 8). Et ideo instrumentum

animatum est instrumentum non in quantum movet seipsum sed in quantum movetur ab intentione alterius.

Omnes thomistae admittunt quod praemotio instrumentalis differt a simplici motione requisita in omni operatione causae secundae. Instrumentum non proportionatur seu ordinatur naturaliter ad effectum superiorem, quem debet producere (instrumentaliter sed realiter). Requirit ergo ante operationem suam, quod elevetur et applicetur; ad hoc autem non sufficit simplicem motionem. Sed haec entitas instrumentalis elevans estne substantia vel accidens; in aliis verbis cuius praedicamento pertinet. Ibi invenit discrimen inter thomistas.

In qua difficultate supponere possumus quod non sit aliquid substantiale vel de praedicamento substantiae. Tum quia substantia non est immediate operativa, ut communis sententia thomistarum admittunt; atqui id autem, quod recipitur in instrumento, immediate operativum est; cum sit ratio proxima et formalis agendi. Tum etiam, quia haec motio recipitur immediate in potentiis, quoniam illas elevet ad agendum; nihil autem substantiale potest in potentiis accidentalibus recipi. Unde substantia omissa, oportet considerare inter praedicamenta accidentalia.

Alii (Cajetanus, Soto, Zumel, Billuart, Cabrera) affirmant instrumenta elevari per motionem quae est formaliter motus ex parte instrumenti. Ita J. a S. Thoma tractans de Humanitate Christi et de sacramentis, quamvis dicat in Phil. nat. q. 26, a. 1: "... est ergo illa virtus qualitas aliqua per modum transeuntis et motionis sicut impulsus in securi. Non autem est motus ad qualitatem, sed ipsa motio est qualitas movens et producens." In aliis locis cursus theologici sui eadem locutio tenet. Legitur apud ipsum Cajetanum: "... in instrumento est aliqua virtus superaddita motui quo movetur a principali, et haec virtus est quaedam qualitas habens esse fluens per modum motus. Hic est sensus communis contra Scotum, Durandum." (Comm. III, q. 62, a. 4n. 2). Mirum sane quod

immediate post, arguit contra hoc, ipsemet Cajetanus dicens: "Virtus ista nihil aliud est quam motus quo instrumentum a principali agente movetur ad proprium principalis agentis effectum inducendum." (loc. cit.). Pro qua sententia referunt III, q. 62, a. 1: "Causa instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed per motum, quo movetur a principali agente." Et a. 4: "Instrumentum non operatur nisi in quantum est motum a principali agente quod per se operatur. Et ideo virtus principalis habet permanens, et completum esse in natura: virtus autem instrumentalis habet esse transiens ab uno in aliud, et incompletum. Sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens. Denique D. Thomas loquens de concursu instrumentali in productione gratiae asserit Ia IIae q. 110, a. 2: "quod istud auxilium non esse qualitatem sed motum quidem animae, quia motus moventis est in motu."

Alii contra (Capeceolus, Salmanticenses, Ferrariensis, Gonet, etc.,) dicunt instrumentum elevari ad rationem instrumenti physici per aliquid de genere qualitatis formaliter. J. a S. Thoma ut dictum est supra, multos textos habet pro hac sententia. Tamen haec sententia videtur mihi verior tum ex textibus ipsius D. Thomae tum ex ratione.

Etenim S. Doctor elevationem vocat motum ut citatum est, conservat tamen appellationem virtutis. Ita III, q. 62, a. 3: "...; sed secundum quandam instrumentalem virtutem quae est fluens, et incompleta in esse naturae." Et articulus sequens inquit: "Virtus principalis agentis habet esse permanens... completum esse in natura: virtus autem instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud et incompletum." Et clarissime eodem articulo ad 2: "Sicut motus, eo quod est actus imperfectus non proprie in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti (sicut alteratio ad qualitatem): ita virtus instrumentalis non est proprie loquendo in aliquo genere (scilicet adaequate in aliquo genere), sed reducitur ad genus et speciem virtutis perfectae." Quaesumus in quo genere est virtus perfecta? Notissimum quod sit in genere qualitatis nempe virtutis

vel potentiae activae. Ergo fateri oportet quod ex D. Thoma virtutem elevantem instrumentum esse in genere qualitatis, ut quid tamen incompletum; ideo inadaequate.

Fundamentum rationis hujus opinionis est; quia omnis virtus immediate operativa est de genere qualitatis; sed hoc superadditum de quo agimus est virtus immediate operativa. Ergo hoc superadditum est de genere qualitatis. Minor ex ratione formali instrumenti constat; etenim in eo consistit quod motio est tota ratio agendi scilicet principium proximum agendi, in quo differt a causa secunda principali quae movetur sed tantum ut concausa vel concitio agendi. Sed principium proximum agendi immediate operativum est, ut patet ex ipsis terminis. Major facile ostenditur: "Id secundum quod determinatur potentia subjecti secundum esse accidentale, dicitur qualitas." (Ia, IIae, q. 49, a. 2). Et infra: "Modus sive determinatio subjecti secundum actionem et passionem, attenditur in secunda, vel tertia specie qualitatis." Probatum etiam ex eo quod omnes virtutes immediate operativae, ponuntur in praedicamento qualitatis; potentiae, habitus, species intelligibiles. Ergo omnis virtus immediate operativa est in genere qualitatis. Ergo virtus instrumentalis formaliter est qualitas, fluida et ad modum motus communicata.

Confirmatur confutando alteram opinionem. Ad textum D. Thomae (III, q. 62, a. 1) merito potest virtus instrumentalis appellari motum quia haec qualitas est incompleta, transiens et subjectum constituens in via ad producendum terminum principaliter intentum. Non tamen quia vere motus sit, aut quia vera qualitas non sit; sed quia qualitas existens habet esse ad instar motus, ut in infra explicabimus.

Ad aliud textum (ad 2): "quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus, non proprie est in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti (sicut alteratio ad qualitatem): ita virtus non est proprie loquendo in aliquo genere, sed reducitur ad genus, et speciem virtutis perfecti." Ubi patet

quod si D. Thomas sentiret virtutem instrumentalem elevantem instrumentum esse motum, et ideo non constitui in aliquo genere.

Ad ultimam instantiam: nomine motus non intelligitur esse actus elicited, sed aliqua inspiratio recepta ut eliciatur, qui motus in mobili recipitur, non elicitur ut motus est, secundum notam J. a S. Thoma; similiter nomine qualitatis intelligit qualitatem permanentem, non negat vero esse qualitatem per modum motionis transeuntis, sicut virtus instrumenti, et colores in aere qui non sunt motus, nec potest esse motus ad qualitatem sed quasi via et tendentia. Si ergo non est motus ad qualitatem, restat quod sit qualitas per modum motus.

Immo virtus instrumentalis non est motus simpliciter. Motus enim adaequate dividitur in augmentationem, alterationem et localem; sed non est illa virtus, augmentatio cum non terminetur semper ad quantitatem; non est alteratio quae est in patiente et non esset autem in instrumento sed in effectu; nec est motus localis simplex quia ut vidimus non sufficit ad constituendum instrumentum. Neque etiam hic status tendentiae generalissime quia ante applicationem vel viam ad actionem debet virtus instrumentalis constituere instrumentum in actu primo. In aliis verbis ante instrumentum sit in statu tendentiae debet constitui ut aliquid nempe ut principium positivum.

Unde praemotio physica elevans est in genere qualitatis. Tamen sicut est ens incompletum ita virtus instrumentalis est qualitas incompleta. Proinde in eodem sensu dicimus quod entitas vialis instrumentalis "reducitur" ad qualitatem sed est tamen formaliter qualitas sicut motus est formaliter ens reale (incompletum). Etenim quia non est qualitas completa non comprehenditur in praedicamento qualitatis adaequate sed reductive sicut substantia incompleta reducitur ad substantiam. Et autem non opponi debet "reducere" et "formaliter" quia non applicantur ad ens simpliciter nempe completum et perfectum. "Instrumentum agit ut motum ab alio et competit sibi virtus proportionata motui. Motus

autem non est ens completum sed est via in ens quasi medium quid inter potentiam puram et actum purum."(III Phys. text.6). Importat notare quod discrimen inter thomistas minime est. Sic videtur differre: pro Cajetano et aliis haec motio elevativa est motus in recto et qualitas in obliquo; pro aliis est qualitas in recto et motus in obliquo. Omnes enim admittunt quod non sit motus tantum. Ita Cajetanus in Comm. III, q.62, a.4, n.4 inquit: "...puta quod via seu virtus est de genere qualitatis (reductive tamen) quod habet esse intentionale, quod est spiritualis... quae non conveniunt motui." Et talis est sensus "motus virtuosus". Unde praemotio instrumentalis et praemotio simplex aliquomodo distinguuntur: illa est primo et per se principium agendi; haec tantum conditio vel completio causae secundae ad agendum, quamvis secundarie constituit creaturam instrumentum "esse" in quantum esse effectus et actionis. Ergo duae praemotiones in eodem genere reducuntur; sed tamen praemotio non applicatur duabus nisi per analogia proportionalitatis propriae. Ratio proportionaliter una est applicatio ad actum secundum; una mediante elevatione, altera absque elevatione. En ergo est sententia thomistarum circa naturam quasi specificam entitatis viae instrumentalis.

Denique est FRAEMOTIO PHYSICA ELEVANS, TRANSEUNTER COMMUNICATA

"Instrumentum enim non operatur nisi in quantum motum a principali agente, quod per se operatur; ideo virtus principalis agentis habet permanens et completum esse in natura, virtus instrumentalis habet esse transiens ex uno in aliud, et incompletum sicut et motus est actus imperfectus ab agente in patiens."(III, q.62, a.4). Unde transeunter communicata non necessario significat durationem temporis; in quantum non vero non datur ut per se operatur sed ut per modum deservientis. Rigorose praemotio physica elevans quae est qualitas incompleta, sufficeret ad definitionem entitatis instrumentalis. Hoc modum transeuntis additur ut distinguatur a virtute principalis quae est habitualiter permanens in subjecto saltem semper completum. Et ideo "dicitur per modum motus dari illam virtutem

(instrumentalem) quia non permanenter sed transeunter datur; non tamen quia transeunter datur tanquam actus imperfecti aut actus entis in potentia tendens ad terminum; sed ut virtus principalis in esse diminuto et transeunte, quia solum servit ut uniatur principali agenti, et fiat unum cum illo in ratione principii efficientis." (J. a S. Th. C.Theol. disp.24,a.1). Unde cessante motione, immediate cessat causalitatem instrumenti. "Nec est inconveniens ut virtus illa cesset, quia virtus illa se habet ut in fieri existens et moveri ut dictum est; et huiusmodi cessat cessante motione moventis: statim enim quando movens cessat movere, et mobile cessat moveri."(De Verit. 27,a.4, ad 10).

Confirmatur quod haec virtus transeunter communicata tum quia ordinatio instrumenti ad effectum excedentem non est naturalis et ideo nunquam nisi applicetur per agentem principalem nempe non permanenter; tum quia praedicta virtus se habet per modum viae et tendentiae ad effectum principaliter intentum. Immo sicut virtus perfecte transeunter communicari potest (sicut calor ferreo vel aquae), a fortiori non repugnat virtus imperfecta transeunter communicetur.

Importat tamen notare quod aliquando haec virtus retinetur aliquod tempus et uno habet per accidens esse permanens v.g. qualitas elevans ignem inferni ad torquendum spiritus angelicos et humanos; semen animalis retinet virtutem instrumentariam sibi a generante impressam usque ad generationem proli; "virtus illa activa quae est in semine ex anima generantis derivata, est quasi quaedam motio ipsius animae generantis; nec est anima, aut pars animae nisi in virtute; sicut in serra vel securi non est forma lecti, sed motio quaedam talem formam."(I,q.118,a.1, ad 3). Etiam enim virtus non communicatur permanenter scilicet ut proprium; id quod esset destruere rationem instrumenti.

Haec virtus autem principalis participatur vel communicatur diversimodo instrumentis. Et venit distinctio instrumenti divini et humani. Homo utitur instrumento quod est aliquo modo proportionatur ad finem suum. Ita

carpentarius non utitur penicillo ad secandum neque pictor securi ad pingendum. Unde in fabricatione instrumentorum, jam homo dat instrumento aliquam formam specialem quae non tamen constituit instrumentum formaliter vel proportionatum adaequate ad effectum excedentem,; sed aliqualiter ordinat ea ad illud. "Sicut virtutem instrumentalem instrumentum acquirit dupliciter scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente ad effectum."(III, a.72, a.3 ad 2). Proinde dicitur quod instrumentum autem recipit inchoative praemotionem principalis agentis quae perficietur per applicationem hic et nunc, Et sic S. Thomas inquit:"quod instrumento datur virtus agendi instrumentaliter dupliciter. Uno modo quasi inchoative, quando constituitur in specie instrumenti. Alio modo datur complete, quando actu movetur a principali agente, sicut quando carpentarius utitur serra."(IV Sent. dist.1,q.1,a.2 ad 2.). Haec vero primitiva forma non dicitur inchoative instrumentalis nisi jam habet aliqualiter intentionem principalis agentis nempe determinatum officium.

Deus e converso nihil praesupponit in instrumento. Homo utitur instrumento ex indigentia, et ita limitatur; Deus habet dominium et transcendit omnem ordinem et potest elevari quodcumque ad finem suum. Unde non est de ratione instrumenti habere aliquam affinitatem cum fine. Sicut in Sacramento Baptismi aqua "tangit corpus, cor abluat" ut dicit S. Augustinus i.e. producit gratiam supernaturalem mediante tactus aquae. Non potest tamen eruere naturam. Ita Deus non potest facere quod baculus causat resurrectionem mortui sine exercere actionem suam, saltem modificando actionem Dei; saltem non esset autem nisi occasio resurrectionis: quamvis certum sit, Deus potest resuscitare mortuum cum vel sine baculo. Nam causare ex natura sua consistit in hoc quod effectus oriatur ex alio tamquam a principio suo agendi vel producendi. Et Deus non potest facere quod aliquid sit causa et non causa: ens non est non ens.

Exinde dicere volumus quomodo haec virtus communicatur et quomodo recipitur. Nam haec est ordinis superioris naturae instrumenti et quidquid

recipitur ad modum recipientis recipitur.

Etenim instrumentum non habet in se virtutem agendi effectum excedentem; ideo aliud communicat ei. Virtus autem instrumentalis dicitur participatio virtutis principalis vel virtus principalis diminuta et incompleta. Evidenter virtus seu principium agendi causae principalis non dividitur et non transmigrat de principali agente ad instrumentum; quod repugnat pro quocumque accidente. Sed motio potius actio agentis principalis tendit ad effectum suum mediante instrumento et ita haec actio elevat instrumentum. S. Thomas potest autem dicere: "quod quamvis accidens non transeat a subjecto in subjectum, transit tamen a causa per instrumentum aliququaliter in subjectum, non at eodem modo sit in eis, sed in unoquoque secundum propriam rationem." III, q. 62, a. 3 ad 2. Et in alio loco: "Instrumentum virtutem non recipit nisi secundum quod agenti principali continuatur ut virtus ejus quodammodo in instrumento transfundatur." IV, dist. 1, q. 1, a. 4 ad 3).

Vero autem entitas instrumentalis ejusdem naturae quam effectus excedens constituetur? Effectu spirituali correspondebit virtus spiritualis, corporali, corporalis. Non necessario, respondit D. Thomas: "Illa virtus neque est corporea neque incorporea; corporeum enim et incorporeum sunt differentiae entis completi, sed proprie dicitur virtus ad incorporeum sicut motus magis dicitur ad ens quam ens." (De Verit. 27, q. 4, ad 5). Ex eo enim quod instrumentum corporeum concurret ad effectum spiritualem provenit difficultas. Quomodo autem accidens spirituale recipitur in subjecto corporeo. Si admittitur quod virtus in hoc casu est entitative corporea et virtualiter spiritualis ut quo non erit soluta difficultas: sicut virtus residens in semine est entitative et in se quid inanime; et tamen est virtus viva ut quo, et causaliter, et hac ratione efficit instrumentaliter vivum. Non autem eligo hanc probabilitatem, quae non repugnat absolute. Potius videtur ex D. Thoma quod haec virtus est spiritualis entitative sed non recipitur permanentem in subjecto et in esse quieto, sed transeunter et

et ad instar motus; quare non communicatur ad modum recipientis, sed magis commensuratur termino: atque ideo licet recipiatur in corpore, non oportet esse corpoream; sed spiritualem juxta conditionem termini, ad quem producendum ordinatur. "Nihil autem prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum. Sicut et in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis." (III, q. 62, a. 4, ad 1). Et idem Doctor inquit in IV dist. lq. 1, a. 4: "In re corporali non potest esse virtus spiritualis secundum esse completum: potest tamen ibi esse per modum intentionis: sicut in instrumentis motis ab arte est virtus artis."

Unde virtus instrumentalis etiam spiritualis recipitur in corporeo quia non est accidens completum; et ideo non subjectatur in subjecto proprio. Nam repugnat spiritualem entitatem completam vel proprie inhaerere corporeo quia per inhaerentiam accidens participat esse subjecti. Quod explicat cur instrumentum non quaeritur propter seipsum sed propter finem. Entitas autem transiens specificatur per terminum et dicit ordinem ad effectum; ideo non est in instrumento nisi ut transitio de principali agente in effectum. "Instrumentum enim movetur a principali agente ad effectum." (III, q. 72, a. 3 ad 2). Et hoc provenit ex superioritate spiritualis vel ex subiectione vel obedientia corporei ad spirituale et etiam quia non communicatur virtus haec virtus spiritualis complete modo. Haec influentia vel conjunctio spiritualis cum corporeo invenitur saepe saepius in natura qui dependet primo a Deo et etiam ab alia causa spirituali. Sicut ergo forma spiritualis completa quoad specificationem, qualis est anima rationalis, potest informare materiam; quamvis forma spiritualis completa, qualis est Angelica hoc non possit; ita, licet in subjecto corporeo, bene non possit recipi virtus spiritualis completa et permanens; tamen recipi potest virtus incompleta, vialis et intentionalis. Cujus disparitas est, ut supra diximus, quia

accidens viale et incompletum, licet ex ea parte qua est accidens dependeat a subjecto in esse; quia tamen formaliter ut viale, magis commensurari debet a termino quam subjecto: "subjectum enim attribuitur alicui accidenti secundum rationem ejus ad quod proprium disponit, non autem secundum rationem ejus ad quod disponit remote vel indirecte."(III,q.63,a.4 ad 1).

Ergo corporeum potest recipere virtutem vel accidens spirituale, incompletum et viale ratione subjectionis vel obedientiae inferioris ad superiorem. Non autem Angelus posset recipere aliquid accidens (etiam incompletum) corporeum, quia repugnat materiam dominare spirituale. Ideo spirituale non recipitur in corporeo ad modum recipientis, quia non recipitur ut proprium accidens. Immo debet in instrumento recipi supra modum recipientis; nam communicatur ad elevandum instrumentum supra naturam suam. Supponit igitur tantum in instrumento non repugnantiam ad elevationem.

Ex his praecedentibus nititur cur vocatur entitas haec, vialis, ens intentionale. Ita S.Thomas dicens quod virtus instrumentalis non esse ens completum, habentem esse fixum in natura sed quoddam ens incompletum addit: "... et hujusmodi entia consueverunt intentiones nominari et habent aliquid simile cum ente quod in anima, quod est in anima, quod est diminutum ut dicitur in VI Metaphys. text.4."(IV Sent. dist.1,q.1,a.4). Ubi constat quod ens intentionale autem non opponit ad ens reale, quod est sive substantia vel accidens. Hoc modum existentiae non convenit proprie entitati instrumentali quae habet existentiam pure tendentialem. In aliis verbis, est applicatio actus perfecti qui non indiget alia perfectione et actus imperfecti qui perfici potest. Duo sunt entia realia; primum dicitur habere "esse naturae" vel "esse entitativum"; aliud "esse viale" vel "esse intentionale" (tendere in). Addit se ad esse naturae ad perficiendum eum. Unde instrumentum refert ad terminum principalis agentis et ideo instrumentum non melius est quia magis instrumentum sed "quanto est magis fini proportionatum."(IIa,IIae,q.188,a.7). Tamen videtur quod proprie intentia reser-

vatur ad instrumenta animata quia quaedam mediatio vel finis diminuta est inter principale agens ad effectum, deferens principale agens ad effectum et ideo proprie fert intentionem. Et ens spirituale dicitur quando ordinatur vel refert ad effectum spiritualem. Denique motus tantum (virtuosus) dicitur in instrumentis artificialibus, quibus virtus instrumentalis communicatur per motum localem. Ergo hic ens intentionale non significat ens rationis quod influat per modum significandi aut moraliter; sed habet causalitatem physicam et realem non tamen ad modum entis perfecti vel completi.

De subiectione vel obedientia in praecedenti locutus est.

Quid sit in natura vel in ente haec subjectio et obedientia nempe quid sit potentia obedientialis? Potentia quae necessario et essentialiter dicit respectum ad actum definitur per illud. Est enim capacitas actus, "posse" ad actum, ordo transcendentalis ad actum. Potentia dividitur autem dupliciter: objectiva i.e. possibilitas vel non repugnantia ad esse; subjectiva. Alia vero potentia subjectiva non tantum potest recipere actum, sed tendit ad actum pro operatione: ideo potentia activa dicitur. Altera passive modo scilicet non dicit ordinem positivum; et ideo potentia passiva. Potentia passiva potest esse naturalis i.e. potens recipere aliquid vel perfectionem ejusdem ordinis, et obedientialis. Potentia obedientialis est: sive relativa ad agens creatum superioris ordinis v.g. lignum non naturaliter vel positive tendit ad formam artificiosam, et tamen quia lignum natum est obediri artifice, educit ex illo formam artificiosam quatenus illam efficit dependenter a concursu materiali ligni (non repugnantia ejus ad formam artificiosam); sive relativa ad Deum ut auctorem naturae et habetur instrumentum naturale aut auctorem vitae supernaturalis et habetur instrumentum supernaturale. Evidenter ex dictis de potentia et actu, potentia activa non tendit ad operationem nisi secundum naturam suam; nam potentia et actus in eodem ordine sunt. Item potentia passiva capax est recipere tantum actum sibi proportionatum. Atque instrumentum quod est in potentia respectu motionis elevantis; non tendit

in ea active vel positive; nam illa naturae superioris est; neque est potens recipere eam secundum naturam suam quia est naturae superioris: ergo potentia obedientialis passiva est - contra Suarezium quam refutabimus in corollaria -. Nihilominus haec potentia passiva non proportionata ut sic ad hanc actuationem nisi ratione subordinationis et dependentiae vel obedientiae respectu causae principalis. Potentia autem instrumenti quae dicit respectum ad virtutem instrumentalem elevantem vocatur potentia obedientialis, quatenus instrumentum servit vel obedit ad superiorem agentem. Sic definitur a J. a S. Thoma Curs. Theol. disp. 24, a.1 ad 8: "potentia obedientialis consistit in non repugnantia, qua agendo potest subdi, ut in illa et ex illa operetur." Ideo potentia obedientialis opponitur potentiae formali, nam potentia obedientialis non actuatur vel determinatur per formam informantem sed per quasi formam non proprie informantem. Et haec potentia obedientialis passiva sufficit; nam instrumentum non agit nisi ut motum; et ideo non requirit in se ordinem positivum vel potentiam activam ad effectum. Sed haec entitas vel potentia obedientialis sustinet virtutem et rationem formalem operandi excedentem; non igitur ut proprium. Stenim ratio subordinationis non implicat quod subordinatum antecedenter sit operativum sed tantum quod capax sit recipere id quo operetur supra se. Unde potentia obedientialis primo respicit id cui est obediens et secundo id quod exsequitur ex tali obedientia seu effectum excedentem. Patet etiam quod primum respectum prior et formalis est; nam effectus exsequitur, supposita elevatione in qua instrumentum omnino passive concurrit. Proinde in hoc differt a potentia activa seu virtute principali quae prius dicit ordinem ad effectum suum et postea ad Causam primam quae est conditio vel concausa. Instrumentum autem dicit ordinem ad agens cui obedit et mediante virtutis receptae, respicit effectum exsequendum. Potentia ergo obedientialis fit activa seu constituitur in actu primo agens per qualitatem elevantem; sed in quantum obedientialis est, dicit tantum passivitatem.

Porro potentia obedientialis est realis et vera potentia enti-

tative; non vero potentia vel facultas agendi in instrumento: "inquantum vero instrumentum obediens est principali agente, non tamen dicit formalem proportionem cum actu, sed solam non repugnantiam ut principale agens agit per instrumentum." (J. a S. Th. Curs.Theol.disp.24,a.1,d.8). Haec potentia obedientialis enim neque est aliqua facultas, seu reale aliquid superadditum instrumento, neque pars ipsius naturae aut aliquid innatum in natura instrumenti; quod aliquomodo ab illa distinctum; sed est ipsa natura vel entitas instrumenti ut subiecta principali agente. Sicut aliquo modo in generatione principium passivum requirit complementum principii activi patris non tamen praecise tamen ut omnis ejus ratio agendi. Nam ex natura sua principium feminineum proportionatur saltem passive ut recipiens ad terminum vel prolem generandum. Instrumentum nullo modo proportionatur secundum naturam suam ad effectum excedentem. Unde clare nititur quod ex se instrumentum, nullam habet activitatem ad effectum supra se, sed tota ratio ejus agendi consistit in activitate quam ei communicat agens principale ad modum transeuntis et intentionis.

B) Instrumentum in actu secundo.

Usque adhuc consideravimus quo instrumentum constituitur in actu primo. Aliunde scimus quod actus primus est in potentia respectu actus secundi et etiam quod omnis causa creata indigeat aliqua motione vel applicatione ad actum secundum. An ita instrumentum praeter virtutem quae constituit illud in actu primo, reducitur in actu secundo per aliam motionem. Unde quaestio est, quomodo instrumentum exercet causalitatem suam nempe quomodo constituitur in actu secundo?

Dicimus quod eadem virtus vialis quae elevat illud, adimplet simul hoc officium. Etenim haec virtus ratione participationis ejus cum virtute principali elevat instrumentum i.e. per illam instrumentum dicit ordinem positivum ad actum secundum; ratione autem modi ejus motionis nempe per modum motionis

communicata reducit instrumentum in actu secundo. Ideo hae duas formalitates non distinguuntur realiter; sed eadem motio principalis agentis virtualiter duplex est. "Nec est inconveniens enim quod illa productio habet duas formalitates (scilicet elevantis et producentis) quia causa principalis quando concurrat cum instrumento non simplici productione tendit ad effectum, sed productione subordinativa instrumenti." (J. a S.Th. Curs.Theol. disp.24, a.1, d.8). Et talis est sensus "motus virtuosus" Cajetani. Nihilominus elevatio habet prioritatem naturae quia instrumentum debet constitui ut causa ante exercere causalitatem suam. Tamen cum instrumentum non perficiatur propter seipsum sed tantum propter effectum seu finem producendum, actus primus instrumenti scilicet motio elevans non est forma completa seu entitas completa; ergo non distingui potest entitative et adaequate ab actu secundo. Unde eadem motio entitative una, virtualiter duplicem effectum producit, non tamen completum adaequatum. Etenim habet pro termino incompleto et initiative elevationem passivam instrumenti, et pro completo et adaequato, effectum extra; et ideo una actio vel motio sufficit ad utrumque. "Eodem concursu quo agens principale tendit ad effectum producendum in actu secundo, dat instrumento actum primum; et simul actum secundum ad talem effectum, quia actus primus quo constituitur instrumentum est conjunctus cum actu secundo, et inseparabilis ab illo, solumque formaliter distinguuntur." (J. a S.Th. loc.cit.). Iterum dico nunquam instrumentum elevari nisi ad agendum; proinde motio importat virtutem principalis agentis et activitas ad effectum attingendum. Notandum est tamen quod motio seu actio principalis agentis distinguitur ab operatione instrumenti; nam prima motio exeat a principalis agente per modum formae et virtutis; in instrumento ab actu primo per modum transeuntis et fluxus. Haec motio in instrumento identificatur cum duobus distinctis subjectis ratione diversorum effectuum, inquantum unus ordinatur ad alium, sed non simpliciter identificatur cum utroque. Actio enim instrumenti sicut omnis actio creata distinguitur realiter ab actu primo seu a principio ejus. "Elevatio

passiva et concursus simultaneus, cum identificatur cum effectu seu actio entitative distinguuntur: concursus simultaneus tamen active et elevatio ipsa active, non distinguuntur sed attingendo instrumentum et reddendo illud virtuosum per modum motionis, attingit etiam effectus."(J. a S.Th. loc.cit.); sicut artifex applicando serram artificiose facit cathedram; et musicus tangendo chordas artificiose, efficit musicam.

Ergo una motio sufficit ad constituendum instrumentum ratione principii agendi et ratione "agere" ipsius. Nam alia motio datur ad reducendum actum primum vel formam completam in actu secundo, quod repugnat rationi instrumenti. Unde concursus qui fit duplex in agente principali nempe praevious et simultaneus, est unicus in instrumento. Etenim aliquammodo non est adaequata vel propria transitio de potentia in actu, ubi datur principium incompletum; ideo sufficit una motio initialiter sicut in motu non datur motio nova inter omnem transitiones intermediarias de potentia in actu.

Restat igitur quod praemotio physica elevans et transeunter communicata constituit instrumentum in actu primo et etiam in actu secundo seu in causalitate. Unde non inutile tractavimus longius de actu primo instrumenti seu de motione ipsa et hoc explicat etiam cur tota probatio thesis non loquitur nisi de constitutivo formali instrumenti in actu primo. Melius denique scimus in quo sensu tota ratio formalis agendi instrumenti sit "ut mota" a principali agente et recte statuitur thesis nostra de causalitate instrumentali. Nunc advenimus ad id quod suppositum est in instrumento seu instrumentum habetne aliquam virtutem et actionem propriam.

C) Quid supponit instrumentum?

Ex hoc quod "quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio", patet instrumentum quatenus est ens possidere aliquam virtutem et actionem. Sed difficultas est, an instrumentum cum ea concurrat ad effectum excedentem produ-

cendum. Scotistae negant; Suarezius et alii existimant quod non semper aliqua actio propria requiritur. Omnes thomistae tenent cum S. Thoma quod: "instrumentum habet duas actiones: unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria, sed in virtute principalis agentis: aliam autem habet actionem propriam, quae competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione suae acuitatis, facere autem lectum, in quantum est instrumentum artis." (III, q. 62, a. 1 ad 2). Unde duae sunt actiones in instrumento, quae requiruntur pro causalitate instrumentali tum supernaturali tum artificiale, tum naturali; nam "non perficit instrumentalem actionem, nisi exercendo actionem propriam scindendo enim facit lectum, Et similiter Sacramenta corporalia per propriam operationem quam exercent circa corpus quod tangunt efficiunt instrumentalem operationem ex virtute divina circa animam." (eodem loc. cit.).

Ratio vero hujus actionis propriae probatur etiam facile. Oportet effectus et actio cujuscumque causae etsi instrumenti egreditur ab ejus potentia et actione, secus instrumentum non esset nisi purum medium vel occasio et non distingueretur ab eo quod non assumitur vel subordinatur. Aliunde si effectus unice egreditur ex virtute communicata instrumento a principali agente, aut inutile esset instrumentum et effectus non dependeret ab eo aut ageret ut principale agens sicut aqua calefacta, calefaciens principaliter; utrumque repugnat quia primo instrumentum est vera causa et secundo quia non principaliter agit. Ergo necesse est dari virtutem et actionem propriam instrumento. "Omne instrumentum in id circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem, et non solum illam actionem secundum quam agit in virtute principalis agentis: imo exercendo primam actionem oportet quod efficiat hanc secundam." (Suppl. q. 70, a. 3). Porro si nihil omnino ageret instrumentum, non exiret actio ab eo sicut ex causa aliqua, sed transiret per illud et sic frustra adhiberetur ad agendum, et solum ad patiendum; quod est contra rationem causae.

Tamen distinguiturne actio propria et actio instrumentalis in causalitate ipsa instrumentali? Quidam autumant instrumentalem et propriam actionem esse essentialiter vel entitative distinctam. Ita Ferrariensis II C. Geni c.21. Alii, cum Cajetano et verius videtur, docent ad operationem instrumentalem per se non requiri quod instrumentum proprie agat actione distincta ab actione principalis agentis. Distingui videtur modaliter quia sufficit ut in eadem actione sit quaedam ratio realis vel modus virtutis propriae, correspondenti instrumentali actione; et ita unica fit actio principalis agentis utentis instrumento; "actio enim instrumenti inquantum est instrumentum non est alia ab actione principalis agentis."(III,q.19,a.2). Etenim effectus dependere debet a principio agendi quod fit unicum per unionem virtutis propriae instrumenti et virtutis principalis communicatae: sicut situialis compositio trianguli ex virtute motiva simul ponit tres virgas, ex rationem autem facit formam trianguli, nulla alia actione adjuncta. Et aliter sculpra sculptoris non marmor caedit et postea artifex producit statuam; nam ictus sculprorum male directus reddit marmor irreparabilis; quod non esset si actio sculprorum distincta esset ab actione artificiosa aut instrumentalis. Tamen actio instrumenti prioritate naturae exercet actionem suam nempe primo serra scindit et scindit artificiose aliquantuliter post. Ratio est quia primo in intentione est ultimum in executione. Atqui intentio vel effectus primo est in principali agente sicut in principio seu activitate. Ergo ultimum erit in executione activitas vel actio instrumentalis quatenus executat intentionem principalis agentis.

Unde instrumentum habet aliquam activitatem, cui correspondere debet realitatem vel saltem modalitatem; nam "omni virtuti activae respondet aliquid per eam factibile; alioquin esset activa nihili."(Cajetanus I,q.45,a.5). Non attingit effectum excedentem ut actio propria, instrumentum (operatio sequitur esse); quomodo autem concurrat in operandum illud? S. Thomas dicit quod "causa instrumentalis non participat actionem causae superioris nisi inquantum

per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis." (I,q.45,a.5). Bene intelligitur quid hoc significat pro instrumentis artificialibus: v.g. cum moneterius per instrumentum inducit effectum suum in moneta, ibi sunt duo effectus, vel duas actiones; una quae est propria moneterio, nempe inducere imaginem in metallo, et illam instrumentum inducit in virtute principalis agentis, et non ex natura propria; alia est actio qua instrumentum agit virtute propria nempe comprimere, dividere partes metalli; hoc enim agit instrumentum inquantum est durum vel acutum: et similiter de sigillo respectu carae; de serra respectu ligni etc. In aliis verbis haec instrumenta disponit materiam effectus et mediante hac dispositione attingit effectum excedentem. Sed nullo modo est ita in instrumentis supernaturalibus sicut sacramentis neque in spiritualibus sicut phantasmata. Proinde distingui potest operari dispositive simpliciter et operari dispositive dispositionem. Et "operari dispositive" simpliciter sufficit ad rationem instrumenti. Per ly dispositive operari enim, S. Thomas non intelligit aliquam dispositionem tanquam effectum operatum ab ipso instrumento secundum propriam virtutem, sed intelligit modum proprium operandi instrumenti quod disponit modificando vel afficiendo motionem superioris agentis, ut actio exeat ab instrumento secundum modum proprium operandi instrumenti. Et hoc est praecise quomodo instrumentum concurret ad effectum excedentem producendum cum actione propria sua. Et ideo respectu hujus agere dispositive principaliter agit instrumentum; "per ly dispositive non intelligit aliquid transiens ad ipsum effectum, aut subjectum ejus, sed aliquid quo disponitur intra se instrumentum, seu sit capax motionis principalis agentis ad effectum, quia non potest illam motionem accipere nisi aliquid agendo." (J. & S.Th. Curs.Theol. loc.cit.). Unde aliqua instrumenta operatur dispositionem, sicut serra in ligno agit et ita disponit (agit dispositive) ad faciendum scammum cum motione carpentarii. Alia vero instrumenta tantum influet super modum operandi nempe modificat motionem superioris agentis sicut phantasmata non agit in spi

rituali sed quatenus est talis vel talis imago, differenter est motio seu illuminatio intellectus agentis. Quod sic exprimitur a Billuart: "non requiri ad rationem instrumenti quod actione propria agat in subjectum dispositive ad effectum causae principalis ex parte rei operatae seu quod in subjecto aliquem priorem effectum producat, id enim proprium est tantum instrumentis causarum creatarum (excepto phantasmate) quae illis utuntur ex indigentia; sed sufficit quod agat dispositive ex parte modi operandi, hoc est quod habeat propriam actionem modificativam virtutis principalis in se receptae, qua actione constituatur in ratione causae, et non sit purum medium seu vehiculum virtutis causae primae." (De Sacramentis d.13, a.2). Et ideo ubicumque movens et motum habent diversas formas seu virtutes operativas, ibi oportet quod sit alia operatio moventis, et alia operatio propria moti, licet motum participat operationem moventis, et movens utatur operatione moti, et sic utrumque agat cum communionem alterius. Sed instrumentum ex sua virtute propria numquam determinat vel specificat effectum qui assimilatur principali agenti. Sicut serra secatur ad lectum faciendum, sed tantum quatenus artificiose secatur i.e. secundum intentionem artificis, quae facit lectum. Propterea S. Thomas dicit quod: "actio instrumenti magis manifestat virtutem moventis quam instrumenti virtutem, quia virtutem agentis manifestat ut primum operationis principium; virtutem autem instrumentalem non manifestat, nisi quatenus est susceptivum influentiae principalis agentis, secundum quod movetur ab eo." (Suppl. q.74, a.3). Sicut virtus qua aqua calefacta potest calefacere, non manifestat naturam ejus, nisi quantum ad calefacibilitatem; et ideo nihil prohibet quin aqua habens hanc virtutem sit ejusdem speciei cum aqua non habente virtutem istam. Porro si multa instrumenta subordinata sunt inter se ad eundem effectum idem agens principale manifestat; nam "eadem vis instrumentalis agentis instrumentaliter invenitur in omnibus instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine unum." (III, q.62, a.4, ad 4).

Unde omne instrumentum dispositive agere debet; sive dispo-

tionem operatur, sive dispositive operari circa modum agendi. Sed tantum virtus vel actio propria quae concurrat ita influet in effectum. Et autem qualiscumque virtus vel forma accidere potest ad instrumentum praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti; sicut corpus medici quod est instrumentum animae habentis artem, potest esse sanum vel infirmum, nihil refert ad exercendam ut sic artem ejus.

D) De effectu instrumenti.

Ex actione naturaliter transitus ad effectum instrumenti. Jam aliquantulum scimus quod effectus assimilatur vel proportionatur agenti principali; sed etiam dicimus quod instrumentum vere est causa effectus excedentis. Proinde effectus attribuitur non quasi partim causae principali et partim instrumento (III, C. Gent. c. 70); sed totus utroque alio et alio modo. "Secundum ordinem causarum invenimus esse ordinem effectuum; quod necesse est, propter similitudinem effectus et causae.... Instrumentum vero est causa quodammodo effectus principalis causae, non per formam vel virtutem propriam sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causae per motum ejus." (de Potent. a. 3). Ergo effectus dicitur totaliter de instrumento sed alio modo quam de principali causa secundum ordinem ejus in productionem effectus. Etenim secundum D. Thomas de Verit. q. 27, a. 7 dupliciter effectus dicitur de causa. Uno modo secundum quod causa habet dominium super effectum; et sic nullus effectus est in causa instrumentali; nam non movet nisi mota. Alio modo per similitudinem sui; et hoc quatuor modis contingit: a) quando similitudo effectus est in causa secundum esse naturale et secundum eandem rationem: sicut effectus univoci v.g. calor in ferreo et in igne calefaciente; b) quando similitudo effectus est in causa secundum esse naturale sed non secundum eandem rationem: sicut in effectibus aequivocis v.g. calor in aere et in sole; c) quando similitudo effectus est in causa non secundum esse naturale sed spirituale vel intentionale (idea); v.g. forma

domus in aedificatoris mente, causa exemplaris; d) denique quando similitudo effectus est in causa per modum deffluxus vel virtutis transeuntis: sic effectus est in causa instrumentali, qua defluit forma vel virtus causae principalis in effectu.

Exinde triplex aliquantulum effectus distingui potest in instrumento: aliud est proportionatum sibi naturaliter, et in hoc ordinatur per modum agentis principalis; aliud extensivum naturale vel artificiale et in hoc tendit per modum instrumenti agentis naturalis, sicut serra ad scammum tendit; aliud extensivum obedientiale, et in hoc potest secundum virtutem agentis infiniti, quod est Deus. Ita nunquam agit instrumentum ultra effectum extensivum et obedientiale; nam virtutem principalis agentis non posse contra naturam ire. Sicut visus non potest attingere vitaliter seu principaliter sonum, etiam de potentia absoluta, quia deberet hoc facere a principio vitae conjuncto, et non ex motione instrumentali alicujus. Ergo instrumentum potest agere ultra suum effectum adaequatum virtuti propriae, sed non ultra effectum adaequatum instrumentariae operationis. In aliis verbis instrumentum ratione virtutis principalis agentis communicatae effectum excedentem naturam suam agere potest; non tamen agere potest effectum excedentem virtutem principalis agentis communicatam. Ideo misera conditio instrumenti quod attingit perfectum effectum manifestat superioritatem causae principalis moventis illud.

Effectus ergo in totalitate sua causatur ab instrumento sicut a principali agente; primum ministerialiter seu sub influxu alterius; principale agens principaliter scilicet sine altera interventione. Intentat finem seu effectum seipsum et executat eum sed mediante seu subordinante instrumento. Duplex igitur relatio invenitur in effectu; una ad principalem agentem, ut a ratione entis ejus, altera ad instrumentalem causam, ut a execute suo ipsius.

II- Probatur

1. Positive:

Ex his praecedentibus innititur quod instrumentum est vera causa efficiens; ideo principium positivum et extrinsecum a quo primo profluit motus. Non tamen causa efficiens adaequata vel principalis, sed instrumentalis. Certum est etiam quod inquantum ens vel forma aliqua, instrumentum habet virtus et actio propria qua agat principaliter. Sed formaliter inquantum instrumentaliter agit, per quem virtutem sic constituitur? Proponimus quod hoc est per praemotionem physicam elevantem, transeunter sibi communicatam. Et sic probatur:

Per hoc, constituitur causa instrumentalis in actu primo vel ut principium operandi, quo ordinatur instrumentaliter ad effectum excedentem nempe a principali agente intentum.

Atqui hoc fit per praemotionem physicam elevantem, transeunter sibi communicatam.

Ergo causa instrumentalis constituitur in actu primo vel ut principium operandi per praemotionem physicam elevantem, transeunter sibi communicatam.

AD MAJOREM: Sicut omnis causa efficiens, causa instrumentalis in actu primo est causa ita constituta quod dicit ordinem ad effectum mediante actione. Est enim causa in entitate sua formali nempe entitative sumpta. Unde autem causa ut principium proportionari debet ad effectum suum et conditione posita ad actionem i.e. praemotione, exercet causalitatem suam circa effectum. Propterea, cognoscente hoc, quo aliqua causa et in praesente causa instrumentalis constituitur ut principium, habetur constitutivum formale hujus causae. In principali causa efficiente facile est; nam agit secundum formam suam seu naturam suam. E converso instrumentum non implicat nisi rationem medii et utilitatis nempe non agit (instrumentaliter) secundum suam formam et naturam propriam sed secundum virtutem principalis agentis cui subordinatur ut in multis locis docet

S. Thomas. Proinde causa instrumentalis non habet in se et per se virtutem vel principium agendi, secus principaliter ageret; sed ab alio scilicet a principali agente recipit. Ergo constituitur per aliquid receptum prius actionem saltem prioritatis naturae vel causalitatis; nam omnis causa prior est effectus ut diximus.

Aliunde actus primus seu principium agendi ordinatur et proportionatur actui secundo qui specificatur immediate per effectum. Causa vero instrumentalis operatur effectum excedentem nempe a principali agente intentum. Etenim si instrumentum non attingeret nisi aliquid sibi proportionatum, non ageret autem ut instrumentum sed ut principalis causa. Imo instrumentum nunquam quaeritur propter se sed propter finem vel effectum superioris agentis; ideo non est nisi minister vel subordinatum hujus agentis. Tamen necessarium est aliquando sicut apud creaturas, quae saepe non attingere possunt aliquod effectum sine instrumento et imo sine tali instrumento. Effectus tamen non assimilatur vel non proportionatur virtuti propriae instrumenti sed principalis agentis. Sed quoniam instrumentum sit vera causa efficiens, concurrere debet ad effectum non solum ut purum medium vel occasio. Effectus igitur realiter et physice egredi debet instrumentaliter ab instrumento sicut a causa nempe instrumentum proportionari et ordinari debet ad hunc effectum excedentem et a principali agente intentum. Consequenter hoc quod ordinat positive instrumentum instrumentaliter i. e. sine illo constituyente principale agens, ad effectum excedentem vel a principali agente intentum erit id quo formaliter constituitur instrumentum in actu primo vel principium agendi scilicet formaliter ut causa instrumentalis.

AD MINOREM: Atqui hoc fit per praemotionem physicam elevantem, transeunter sibi communicatam. Nulla causa enim realiter agere potest nisi prius saltem natura habeat in se virtutem realem et physicam ad agendum nempe nisi sit in actu primo seu potens agere. Nam actio, quae est actus secundus supponit actum

primum. Atqui instrumentum operatur effectum excedentem vel a superiore agente intentum; ideo requirit indispensabiliter prius saltem natura virtutem vel receptam vel innatam ad illum producendum; alioquin talem effectum non ageret. Sed instrumentum non habet ex se hanc virtutem, quia agere sequitur esse; ergo recipere eam debet. Unde haec virtus esse debet prius communicatam et constituentem instrumentum proportionatum ad effectum excedentem seu praecisius ad actionem quae mensuratur ab effectu. Haec est natura praemotionis physicae elevantis, quae communicatur prius et elevat virtutem propriam instrumenti, ordinatam ad effectum superiorem. Imo haec virtus recipitur intrinsece. Etenim non intelligi potest, quod causa principalis specialiter assistat alicui instrumento et illud conjungat sui actui et subordinet nisi instrumentum aliquomodo mutetur; ergo et nisi aliquid intrinsecum recipiat. Consequentia patet nam aliquid extrinsecum non mutat i.e. confortat vel roborat instrumentum ut principium physicum agendi. Antecedens probatur ex ipso quod, cum causa principalis incipiat assistere specialiter alicui instrumento, resultat nova relatio realis in instrumento respectu principali agenti; relatio vero realis nequit inter duo extrema resultare nisi saltem in altero eorum sit realis mutatio, quae cum non possit esse in causa principali (causa sub respectu moventis seu formaliter ut causa repugnat esse patientem seu mutantem); necessario dicendum est eam fieri in instrumento. Porro haec motio est physica quia non movet tantum moraliter vel allicendo sed realiter movendo vel actuando virtuose instrumentum. Et quia haec praemotio elevans communicatur per principalem agentem tali modo quod instrumentum dicitur agere virtute principalis agentis; nam est participatio quaedam virtutis vel capacitatis superioris agentis.

Etiam instrumentum constituitur formaliter in actu primo per praemotionem physicam elevantem, sed transeunter sibi communicatam. Nam instrumentum constitui debet in actu primo ad effectum superiorem, quin fiat agens

principale. Sed contradictoria est dicere causam producere effectum et non habere virtutem vel capacitatem producendi eum, sive per formam completam sive saltem per virtutem transeuntem. Atqui instrumentum producit effectum principalis agentis. Ergo debet habere virtutem productivam hujus, sive ut forma innata et fixa, sive ut motio transiens; atqui non habet eam primo modo, secus esset causa principalis: virtus enim in agente principali est forma completa, habens esse permanentem et firmum. Ergo instrumentum habet illam virtutem per modum motionis transeuntis. Virtus ejus igitur neque est forma, neque qualitas completa sicut calor in aqua sed virtus vel qualitas incompleta per modum motionis scilicet transeunter communicata. Omnis haec probatio minoris confirmatur etiam per totam doctrinam quam exponivimus supra circa entitatem vialem instrumentalem.

Evidens ergo est quod causa instrumentalis non constituitur ratione causae vel principii agendi vel in actu primo ordinatum ad effectum excedentem, nisi per praemotionem physicam elevantem quae realiter et ante operationem (actum secundum) elevat vel proportionat instrumentum ad effectum principalis agentis quin constituatur illud causam principalem, communicando instrumento virtutem operandi transeunter nempe non ut proprium.

Praecedens argumentum sumitur ex constitutivo metaphysico causae nempe principium positivum unde aliquid procedit cum dependentia in esse. Eadem conclusio probari potest aliquantulum ex auctoritate vel potius ex differentia et similitudine necessaria cum principali causa. Haec conclusio primo videtur esse mens D. Thomae qui perpetuo asserit virtutem communicatam instrumento, esse per modum motionis et transeunter ut in III, q. 62, a. 1, 4 et in IV dist. 1 a. 4 et de Verit. q. 27, a. 4 et in multis aliis locis, ubi Doctor Angelicus ponit ita differentiam inter causam instrumentalem et principalem: "Causa principalis agit per virtutem suae formae, ; causa vero instrumentalis non agit per virtutem suae formae, sed solum per motum, quo movetur a principali agente. Unde effectus non assimilatur instrumento sed principali agente." Et addit etiam: "quod quia

instrumentum non operatur nisi in quantum motum a principali agente, quod per se operatur, ideo virtus principalis agentis habet esse permanens et completum in natura; virtus instrumentalis habet esse transiens de uno in aliud, sicut motus est actus imperfectus ab agente in patiens." Sed patet quod ista motio non est ex parte effectus i.e. concursus simultaneus; nam debet ordinare instrumentum ad effectum. Unde communicatur causae instrumentali et determinat eam ante actionem, quem concursus simultaneus affectat. Dicitur tamen motus quia est ens quoddam incompletum sicut est motus; non enim assimilatur ei effectum sed virtuti principalis agentis. Ex his confici potest hoc argumentum:

Virtus principalis agentis est id, quo constituitur in actu primo ad effectum producendum: ita virtus instrumentalis est actus primus quo constituitur instrumentum ad effectum excedentem producendum.

Atqui virtus in instrumento non est virtus formae; sed virtus motionis elevantis qua movetur a principali agente.

Ergo actus primus in instrumento non est aliqua forma sed aliquid elevans per modum motionis.

AD MAJOREM: Patet ex tota expositione nostra de causa efficiente ubi diximus quod agens agit secundum formam suam et quando constituitur entitative in natura sua, potest agere nempe constituitur in actu primo operandi. Certe existentia est conditio non tamen constitutum principii agendi; nam esse est actus ultimus in omni ordine, nullo modo est in potentia. Aliquando etiam aliqua determinatio perfectiva requiritur sicut praesentia objecti formalis, non tamen ut tota ratio agendi. Unde natura est principium operandi, licet exigit potentias vel facultates ad agendum. Propterea natura est causa in actu primo remoto et facultates vel potentiae quae sunt accidentia completa, principia proxima ordinata immediate ad effectum producendum. Ergo virtus sive remota sive proxima principalis agentis est id, quo constituitur in actu primo ad effectum agendum. Ita virtus quae constituet instrumentum principium operandi

vel ordinatum ad effectum excedentem producendum, erit actus primus ejus.

AD MINOREM: Instrumentum necessario debet habere pro effectu aliquid excedentem aliquantulum suam propriam virtutem agendi; si enim non operetur effectum ultra se, non operatur instrumentaliter et ministerialiter tantum sed principaliter in quantum attingeret id quod ex propriis potest; unde in quantum instrumentaliter operatur oportet quod instrumentum virtute aliena nempe superioris agentis agitur. Atqui non virtute aliena seu principalis agentis permanentem et complete data et communicata; ergo per modum motionis et transeuntis. Minor patet, quia si talis virtus communicaretur sibi per modum permanentis; vel ipsa communicata indigeret novae elevationi instrumentali, ut instrumentaliter operetur vel non indigeret nova elevatione instrumentali, sed solo concursu ad actum secundum. Sed si primo modo nempe indiget nova elevatione instrumentali; ergo illa virtus non constituitur instrumento in actu primo: nam non autem diceret ordinem positivum ad effectum altiore quod necessario requiritur pro actione instrumentali. Et sic non habet nisi dispositionem ut moveatur aut elevetur. Non valet haec ratio quod omne instrumentum alicujus causae creatae habet in se specialem formam per modum permanentis ad effectum etiam excedentem sicut securis habet formam acuitatis ad secandum, penicillum specialem constitutionem ad pingendum, imo aliquando instrumentum specialiter conficitur ad unicum effectum artificialem attingendum (machinas). Etenim non per hanc virtutem vel formam constituitur in actu primo ad agendum; sed per illam plus minusve disponitur ut elevetur per motionem elevantem principalis agentis; quod nominatur inchoative habere virtutem instrumentalem agendi. Nam iterum dico si attingat aliquod effectum secundum propriam formam, non instrumentaliter sed principaliter ageret. Sicut securis quae cecidit, scindit; effectus non est autem excedens, quamvis requirit motionem localem. Ideo per constitutionem eorum, haec instrumenta capacia sunt, ut eleventur et applicentur ad actionem et effectum superiorem. Et quamdiu instrumentum careat elevatione, non habet ordinem

positivum ad effectum supra se. Unde non constituitur in actu primo respectu effectus superioris. Ergo si per qualitatem illam permanentem nondum proportionatum esset instrumentum, sed ad hoc indiget elevatione, non constituitur in actu primo vel in actualitate, qua possit exire actio instrumentaliter, quousque elevetur.

Si vero in secunda hypothesisi, illa virtute posita permanente, instrumentum non indiget elevatione sed solum concursu simplici ad operandum, non instrumentaliter ageret. Etenim operetur tunc per illam virtutem tanquam per formam, quae reduci debet in actu ante operationem, sed effectus tamen assimilaret sibi; et sic constitueretur causa principalis, non vero causa instrumentalis. Oportet ergo quod haec virtus elevans non communicetur per modum permanentis, sed per modum motionis.

Praeterea certum est actum primum et actum secundum positive proportionari debere inter se; nam actus secundus (actio) exiit ab actu primo. Sed effectus et consequenter actio quae producit illud, est ultra formam et virtutem propriam instrumenti; necessario est ergo quod instrumentum elevatum sit ad hunc effectum producendum. Atqui haec elevatio nequit permanentiter esse in instrumentum et per modum formae vel qualitatis completae sed per modum motionis. Hoc constat tum ex corporeis instrumentis, quae virtutem supernaturalem vel spiritualem propriae nempe per modum formae vel accidentis proprii, recipere non possunt; tum ex ratione ipsamet instrumenti. Etenim agens principale agit sibi simile et effectus assimilatur formae ejus sive perfecte et adaequate sicut in causis univocis; sive inadaequate et imperfecte sicut in aequivocis. Sed nunquam effectus assimilatur instrumento ut probatum est supra sed principali causae. Ergo non supponit in instrumento principium permanens formale agendi, neque igitur formam elevantem propriam instrumenti, sed solum virtutem transeuntem seu aliquid elevans quod non per modum qualitatis completae sed per modum motionis. Et hoc speciale principium operandi non repugnat; e contrario

logicum et naturale videtur. Nam causa instrumentalis dependet a principali in agendo i.e. deservit eum; ideo non exigit eundem modum principii operandi. Ergo si principale agens habet in se et per se virtutem agendi tanquam forma seu qualitas completa seu propria ejus, instrumentum non in se neque per se habet eum sed recipit eum a principali agente per modum praemotionis physicae elevantis et transeunter sibi communicata.

2. Negative: Solvantur objectiones.

I- Nulla causa etiam instrumentalis, operari potest ultra suum effectum sive adaequatum sive extensivum. Atqui instrumentum speciatim corporeum non habet rem spiritualem neque a fortiori supernaturalem sub effecto suo adaequato et extensivo. Ergo instrumentum non potest effectum ultra se attingere. Major evidens est quia omne agens agit secundum id quod est, sive adaequate sicut^{oculus} vidit colorem sive extensive sicut oculus percipit quantitatem. Sed non potest oculus vitaliter seu per se primo percipere sonum etiam instrumentaliter; ita neque operatur ultra suum objectum extensivum. Minor constat, quia effectus specificatur per causam; ideo corporeum non potest producere spiritualem et supernaturalem. Ergo instrumentum non potest agere ultra suum effectum sive adaequatum sive extensivum.

Resp.- Distinguendum est antecedens; nulla causa potest operari ultra suum objectum sive adaequatum sive extensivum secundum naturalem suam virtutem et prout illi innititur, concedo; secundum virtutem alterius superioris agentis et prout illi innititur, nego. Nam autem effectus non assimilatur ei sed superiori agente. Et sic repugnat quod oculus attingat vitaliter sonum quia deberet hoc facere a principio vitae conjuncto, et non ex instrumentali motione aliqua. Sed instrumentaliter et ministerialiter agens etiam corporeum potest agere ultra suum objectum adaequatum virtutis propriae ejus, sed non ultra objectum adaequatum instrumentariae operationis; unde secundum virtutem principalis agentis mensurandum est adaequatum objectum instrumenti et ideo non repugnat quod agat ultra objectum suum proprium ratione subordinationis ejus ad principale agens.

II- Atqui repugnat virtutem alienam superiorem recipi in subjecto non ejusdem naturae; nam subjectum alicujus accidentis dicere debet potentiam ad tale accidens. Ergo in corporeo virtus spiritualis vel superior recipi non potest; neque ita quod sit propria ei, quia virtus fluit ab essentia rei et sic non potest eam transcendere; neque ita quod recipit ab alio, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Ergo virtus superioris ordinis speciatim spiritualis et supernaturalis recipi non potest in instrumento corporeo.

Resp.- Concedendum est quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea ut accidens proprium nempe per modum virtutis permanentis et completae. Nihil tamen prohibet quod virtus spiritualis recipiatur instrumentaliter, in quantum corpus potest moveri ab aliqua substantia spirituali ad effectum spirituales inducendum; sicut in ipsa voce sensibili est quaedam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione aliqua mentis. Et hoc modo vis spiritualis est in instrumento i.e. transeunter et ut participatio incompleta virtutis principalis agentis. Nam nomine virtutis transeuntis vel permanentis, non intelligitur virtutem parvo vel multo tempore durantem; hoc est enim per accidens, sed virtus incompleta vel completa ratione muneris et officii quod exercet.

III- Virtus vero incompleta et transiens instrumentum non potest perficere et proportionare ad effectum excedentem; nam ipsa virtus imperfectior est effectu. Atqui per illam solum virtutem instrumentum attingit effectum excedentem. Ergo motio haec elevans non sufficit ad instrumentum constituendum in actu primo seu ordinatum ad effectum supra se.

Resp.- Concedendo minorem, distinguo majorem. Etenim effectum agentis superioris entitative perfectior est virtute incompleta, concedo; formaliter nempe sub ea formalitate quae requiritur ad rationem instrumenti aut elevatio virtutis propriae per modum virtutis incompletae, nego. "Incompletus motus enim po-

test esse causa ejus quod completum et supernaturale non per modum virtutis principalis sed instrumentalis." (de Verit. q. 27, a. 4 ad 6). Unde instrumentum magis habet subordinari superiori agenti, quem ordinari positive ad effectum vel perfici in se, quia ut instrumentum non habet aliud quam quod a principali causa derivatur. Ideo haec motio intentionalis non est via et tendentia ad terminum in ipsum mobile, sed extra; hoc imperfectum ens enim non dicit ordinem ad perfectum immediate sed elevat primum instrumentum et conjunctum cum eo operatur effectum. Aptior est igitur ad perficiendum instrumentum quam effectum ipsum.

IV- Praeterea omnis creatura, ut saepe affirmat S. Thomas, movetur a Deo et tamen aliqua dicitur vera causa principalis. Ergo ratio instrumenti formalis non consistit in quantum motum a superiore agente, sed Deus solus diceretur causa principalis; Deus solus enim est movens vel causa immobile et immotum. Resp.- Respondeo dicendum quod certum est quod omnis creatura movetur a Deo, sed differentia inter principalis et instrumentalis motio determinat utramque causam. Deus movet causam principalem non praecise ut principium causandi sed ut conditio et concausa. Etenim agens principale ordinatur ad effectum suum secundum formam quam habet et non requirit nisi reductionem de potentia actus primi ad actum secundum. Concursus etiam simultaneus datur ut concausa in quantum Deus principaliter causat esse actionis et effectus sub ratione generalissima entis. Proinde respectu esse actionis et effectus dependet a creatura instrumentaliter; essentia tamen individualis et limitata effectus proportionatur causae creatae. Ideo haec motio est tantum ut conditio. Non est eadem motio instrumentalis; nam motio autem non est conditio tantum sed totum rationem vel principium agendi, nempe elevat et ita constituitur instrumentum formaliter in actu primo et applicat illud ad agendum. Ergo instrumentum formaliter constituitur in quantum motum; principalis causa est movens et movetur non praecise ut causa sed per accidens quia est talis causa scilicet creata.

V- Praeterea illa motio principalis agentis praebet ipsi instrumento virtutem in actu primo; ergo solum dat sufficientiam, et non efficaciam, quia efficax concursus non dat actum primum operandi, sed applicationem ejus ad actum secundum. Ergo ultra motionem qua instrumentum movetur ab agente per modum elevationis et virtutis, requiretur alia motio efficax ad operandum in actu secundo; nam actus primus est in potentia ad actum secundum et nulla potentia se reducit in actu.

Resp.- Respondetur sufficientiam et efficaciam dari instrumento eadem motione ut patet supra de natura entitatis instrumentalis. Etenim constituitur in actu primo, inquantum elevativa est et applicatur efficaciter ad operandum inquantum est sub actuali motione agentis principalis. Plerumque enim haec virtus non infunditur instrumento prius temporis, et virtus autem datur ut instrumentum deserviet actualiter principale agens transeunter. Non datur etiam propria reductio de potentia in actu inter actum primum et secundum in instrumento, nam motio est actio subordinativa principalis agentis, tendens ad effectum suum.

VI- Praeterea haec receptio inconvenientiam habet. Nam illa motio qua elevetur instrumentum immutat realiter et intrinsece instrumentum: ergo aliquid habet producere in instrumento, quod ante non erat. Motio illa, igitur seu elevatio activa aliquem terminum habet tanquam effectum quo constituitur instrumentum in actu primo. Ergo instrumentum non constituitur in actu primo per motionem sed per terminum motionis, et indigebit alio concursu, ut a tali termino procedat actio producens effectum. Et sic motio formaliter loquendo non erit virtus instrumenti sed connaturalis, quia virtus est id quod productum est per illam motionem.

Resp.- Respondetur dicendo quod illa motio immutat realiter instrumentum, non causaliter seu producendo aliquem terminum; sed formaliter, tanquam virtus principalis agentis intentionaliter, et per modum motus participata. Unde neque

terminum habet a se productum, neque alio concursu indiget reducendo de potentia in actu ipsum terminum sed idem concursus principalis causae sufficit. Virtus enim causae principalis non respicit ad ponendum aliquid terminum in instrumento, sed effectum extra instrumentum producendum. Ideo non respicit instrumentum perficiendum entitative, sed respicit primo effectum producendum, cum subordinatione tamen instrumenti, et ita uno concursu id facit.

VII- Illa motio autem vel est aliquid impressum instrumento vel non; si non, ergo per talem motionem non magis redditur instrumentum actuatum ad operandum per ipsam quam sine ipsa; quod est destruere fundamentum nostrum instrumenti. Si est aliquid impressum, vel est motus physicus, et sic habebit suum terminum v.g. qualitatem si est alteratio ut calefactio et tunc ille terminus, et non motus constituet instrumentum in actu primo. Cum excludimus aliquam motionem moralem, restat tantum aliquam motionem mysteriosam, imperfectius quam ipsa re producta, et sic non poterit sufficienter instrumentum in actu primo respectu rei perfectioris seu effectus excedentis; imo instrumenta separata qualitate aliqua constitui in actu primo ut sagitta, vel baculus cum impulsu aliquo moveantur. Ergo non per motionem constituitur instrumentum in actu primo.

Resp.- Respondetur cum Cajetano, quod falsum est illa motio producit aliquem terminum in subjecto; nam instrumentum non movetur ad acquirendum sibi, sed ad movendum alia. Est ergo illa qualitas per modum transeuntis et motionis sicut impulsus in securi, virtus supernaturalis in sacramentis. Ita non est motus ad qualitatem sicut alteratio proprie loquendo, quae producit terminum, sed ipsa motio est qualitas movens, et producens. Ut dicimus hanc motionem reduci posse ad qualitatem secundae speciei activam, quia realiter imprimit aliquid principale agens nempe virtutem incompletam. Neque obstat quod haec virtus producat effectum altiore ut dicit S. Thomas de Verit. 27, a. 4 ad 6: "Incompletus motus potest esse causa ejus quod completum et supernaturale, non per modum virtutis principalis, sed instrumentalis." Ideo sufficienter proportionatur

instrumentum ad deserviendum causam principalem. Quoad instrumenta separata vero, quae operantur impulsu, non operantur per qualitatem completam et perfectam, sed per modum motionis datam.

VIII- Denique potentia obediens debet esse vel naturalis vel supernaturalis; nam actus et potentia debent in eodem genere. Atqui non est naturalis cum sit ad supernaturalia, nec est supernaturalis, cum sit proprietas naturae creatae. Ergo repugnat potentiam obedientialem.

Resp.- Distinguitur major: actus et potentia debent esse in eodem genere; in potentia dicente ordinem positivum ad actum, concedo; non vero in potentia obediens, quae non importat ordinem positivum ad actum proprium, sed respicit agens principale cui obedit ad recipiendam elevationem et ordinationem positivam ad actum supernaturalem nempe excedentem. Unde minor patet, quia haec potentia non est supernaturalis, non est enim donum infusum, nec dicit immediate ordinem ad objectum supernaturale; sed est subjective naturalis prout identificatur cum natura, et dicitur proprie obediens prout respicit agens superius, cui obedit. Aliter dictum, est potentia elevabilis naturae ad supernaturalia seu altiora producenda; unde actus correspondens non est simplex seu eodem ordine sed elevans.

CONCLUSIO

III- Corollaria

1. Confutatio sententiarum:- Contra Mastrium et alios breviter dicemus. Etenim si nullo modo instrumentum attinget effectum sed dispositionem tantum, instrumentum dici potest causam dispositionis, non vero effectus excedentis. Quod est contra rationem instrumenti quae est vera causa efficiens, non principalis sed instrumentalis; ideo est principium positivum extrinsecum unde effectus procedit realiter primo (relative i.e. alio modo quam principale) cum dependentia in esse. Ergo nihil refert contra nostram thesim, haec sententia.

Textus lati S.Thomae interpretari debent. Nam in Summa Theologica ubi ex professo, Angelicus Doctor tractat de causa instrumentali, nullam allusionem facit ad hanc divisionem nempe in disponente et in instrumento simpliciter quam dat in Commentario suo Sententiarum. Importat etiam notare quod in contextu hujus textus, D.Thomas confirmat eum per exemplum parentum, qui generant corpus et ideo dispositionem solam animae; nam anima rationalis creata est a Deo. Unde quoniam parentes non sint instrumenta creationis animae - quod repugnat ut videbimus - ibi Doctor non loquitur de instrumento propriissime dicto. Porro P.Pègues in Rev. Th.1925 demonstrat, per locos parallellos, quod in hoc textu, S.Thomas utitur modo loquendi ejus temporis; tunc dicebatur gratiam directe creatam fuisse a Deo et ideo sacramenta non attingebant effectum nempe gratiam sed dispositionem sicut parentes. Quod confutat S.Thomas in aliis operibus suis. Sic in Ia,IIae,q.112,a.1:"Humanitas Christi non causat gratiam propria virtute, sed virtute divinitatis et sacramenta similiter." Et:"anima Christi secundum quod erat instrumentum divinitatis ordinatur ad miracula facienda." III,q.13,a.2. Unde censet S.Thomas humanitatem Christi ipsam entitatem gratiae et miraculorum causare non tantum dispositionem. Ergo nihil obstat hoc textus latus contra nostram positionem circa causalitatem instrumentalem.

Ad Scoti sententiam:- Sic distinguendum est primum argumentum Scoti. Instrumentum agit per virtutem principalis agentis nempe per virtutem principaliter existentem in principali agente, falsissimum est; per virtutem ut stat sub principali agente, verum est. Etenim, ut probatum est, virtus principalis agentis et virtus instrumenti non est eadem v.g. in instrumentis divinis, virtus increata est in Deo et creata in instrumentis sicut sacramentis etc. Porro falsum est quod si instrumentum ageret quocumque modo ex virtute propria principaliter ageret. Nam causa dicitur principaliter agere quatenus producat effectum adaequatum vel proportionatum sibi; ideo etiamsi instrumentum virtute propria roborata vel elevate attingat effectum hoc modo non principali-

ter ageret, quia non est effectum assimilatum virtuti propriae ut sic. Unde si instrumentum per virtutem propriam attingat effectum naturalem, principaliter agat; si vero attingat effectum assimilatum vel intentum a principali agente, instrumentaliter agat. Ergo falsa est consequentia sufficit subordinatio vel assistentia extrinseca principalis agentis, quia instrumentum aliquid agit in communione ut praecise instrumentaliter agat. Tamen unicum principium agendi formatur ex virtute propria et virtute communicata. Etenim si instrumentum nihil ageret, non esset instrumentum nempe vera causa efficiens.

Ad secundum respondeo negando consequentiam et distinguendo antecedens. Instrumentum agit per virtutem principalem conjunctam et applicatam non quocumque modo; ideo per virtutem conjunctam extrinsece, nego; intrinsicse, concedo. Nam effectus et actio exiri debent ab instrumento sicut a causa. Atqui causa supponit in se activitatem et principium a quo prodeat actio illa. Ergo instrumentum ut causa supponit in se (et non extra se vel conjunctum extrinse) principium vel virtus ad agendum. Certo, illa virtus communicata a principali agente non est virtus ipsa completa et perfecta principalis agentis; sed virtus illius incompleta et intentionaliter et realiter communicata seu participata. Ergo instrumentum non agit per virtutem principalis causae completam neque per suam virtutem propriam solam sed per unionem duarum constituitur principium unicum agendi. Non ergo talis subordinatio vel assistentia extrinseca constituit instrumentum in potentia vel in actu primo agendi, quo possit effectum superiorem producere.

Ad ultimum distinguendum est antecedens: ex conjunctione ad causam superiorem, sine aliqua motione de novo, constituitur causa instrumentalis in actu primo; si conjunctio ipsa sit connaturalis vel ad terminum et effectum connaturale, concedo; si conjunctio ipsa sit obediencialis nempe ad effectum et terminum excedentem naturam, nego. Sed in hoc ultimum consistit praecise rationem instrumenti, ergo non sufficit conjunctio sine aliqua motio-

ne de novo, ad constituendum instrumentalem causam in actu primo. Et explico: potentiae vel facultates animae ordinantur ad effectus excedentes (substantias) producendos, sine nova motione animae, sed ratione radicatione earum in anima, connaturaliter constituuntur in actu primo; non autem sunt proprie dicta instrumenta, sed quasi-instrumenta ut videbimus postea; imo corpus grave naturaliter tendit ad terram, tamen si homo vel alia causa non removet obstaculum, suspensum restat; haec motio autem hominis vel aliae causae non ordinat corpus ad effectum excedentem sed connaturalem ei, hic quoque motio extrinseca nempe motio localis sufficit. Corpus in hoc casu dicitur agere quasi-principaliter, ergo non proprie instrumentaliter. Ergo non valet consequentia Scoti.

Unde recte concludi potest assistentiam extrinsecam non constituere instrumentum in actu primo. Primo quia supponit falsum nempe nullam virtutem propriam in instrumento inquantum instrumentaliter agat. Atque probatum est quod si nihil proprium affert instrumentum non autem esset nisi purum medium vel occasio non causa. Secundo quia haec assistentia extrinseca non ordinat positive instrumentum ad effectum excedentem. Virtus enim solum extrinseca assistens et non recepta in instrumento, nec immutans illud, nec redditur illud realiter potentius vel virtuosius quam antea, ergo non potest effectum altiorem producere virtute illius. Sed actio, in actu primo praecontineri debet in agente. Nam non est aliud quod extra se ponere vel reducere actum primum ad secundum. Et quoniam instrumentum non habet in se actum primum, recipi debet a principali agente, non tamen per eandem propriam virtutem hujus. Nec est subordinatio; quia haec relatio quaedam est, non autem virtus activa. Ergo elevatur instrumentum per aliquid aliud, scilicet virtutem incompletam et transeunter communicatam, realem tamen. Motio moralis enim repugnat omnino ad constituendum instrumentum physice seu realiter. Ita rejicitur sententia scotistae, quae aestimatur etiam a Suarezio non sufficiens.

Ad Suarezii sententiam:- Ex ipsius Suarezii textibus, constat

instrumentum producere effectum ex principio intrinseco; quod admittimus. Sed potentia obediens activa non constituit hunc principium agendi; imo repugnat potentiam obediens activam et chimaericam esse ut dicit Billuart.

Prius advertimus nos non negare, quod in omnibus creaturis reperiatur potentia obediens remota, quae consistit in capacitate vel non-repugnantiam ad recipiendam intrinsecam elevationem qua fiant intrinsece et formaliter potentes. Negamus autem quod constituitur potentes in actu primo per hanc solam potentiam obediens. Tum quia de ratione cujuscumque agentis est continere in se effectum in actu primo, et illum ex se emittere; sicut de ratione effectus est egredi a principio efficienti, in quo prius continetur. Sed instrumentum de se non praecontinet in actu primo effectum excedentem; nam causa agit effectum sibi simile; ideo superior non continetur in inferiore. Ergo sive haec potentia obediens activa habet virtutem sufficientem ad agendum vel non. Si eligatur hoc ultimum, non habet eam per subordinationem, ut ipse Suarezius autumat contra Scotum. Si primo, habet virtutem sufficientem, non tamen antecedenter agere per motionem principalis agentis, ut dicit Suarezius, quia omnis creatura habet potentiam obediens activam remotam, non proximam seu efficaciam de qua agitur praesenter. Ergo chimaerica est haec solutio; nam ex una parte Suarezius admittit quod instrumentum (creatura) non habeat virtutem sufficientem; ex altera parte quod non recipiat eam; nam expresse affirmat nihil recipi intrinsece in instrumento. Unde repugnat instrumentum constitui in actu primo per potentiam obediens activam. Ad textum de imperfectione huius motionis, satis dictum in thesi nempe motio non datur ad perficiendum effectum sed instrumentum ut principium agendi. Unde non necesse est quod effectus adaequatur motioni solae, imo non debet secus instrumentum ageret principaliter.

De dubio Suarezii circa causalitatem phantasmatis dicemus in sequenti corollario. Denique motare est duo in instrumento artificiali. Primo requirit motio localis; non in hac vero consistit rationem instrumenti; sicut cithara cujus

fides moventur a non-musico, sonant tantum secundum leges physicas et naturales seu quasi-principaliter. Secundo motio localis virtuosa vel artificiosa constituit formaliter instrumentum sicut eadem cithara cujus fides moventur a musico, efficiunt non solum sonum, sed sonum musicum, quod est effectus assimilatus arti musicae in musico.

Ad argumentum de non repugnantia potentiae obediencialis activae respondeo dicendum quod licet omnes creaturae participantur summi entis, non tamen participant illud univoce, sed analogice et secundum ordinem inferiorem; unde non participare debent virtuti ejus activa adaequate. Haec enim potentia obediencialis activa enim congenita est ipsi instrumento, et naturaliter ei conveniens, non ab extrinseco superveniens, ut ipse Suarezius convenit; ergo ex propriis et naturaliter, convenit instrumento ut habeat aliquam virtutem formaliter potentem in id, quod excedit talem naturam. Manifesta est repugnantia hujus, quia si ipsa natura a qua dimanat potentia, non sit illi effectui proportionata, ergo neque virtus illa, cujus radix est. Unde etiamsi aliqua natura participat enti superiori, hoc nihil addit naturae ad ordinandum illam effectui excedenti. Ideo quaestio quaedam poni potest Suarezio: si instrumentum corporeum physice producit effectus supernaturales, quomodo potest ex natura sua, tamquam ex radice, virtus proportionata formaliter effectui supernaturali dimanare, et quomodo virtus attingens supernaturalia in visceribus naturae contineri proprie?

Tandem arguit Suarezius de insufficientia potentiae obediencialis passivae, quia videtur confundere vel corrumpere notionem potentiae obediencialis et naturalis. Negando autem antecedens falsitas consequentiae apparet. Etenim potentia obediencialis distinguitur a potentia naturalis seu simpliciter ex eo quod dicit ordinem vel potius subjectionem et obedientiam a superiore agente. Unde primo non dicit ordinem ad effectum et actionem, nulla ergo activitas implicat, sed non repugnantiam vel capacitatem recipere elevatio-

nem superioris. Falsissimum est ergo dicere quod potentia obedientialis est aliqua positiva inclinatio et habitudo ad effectum altiorem; nam primo et per se potentia obedientialis respicit superiorem agentem, cui obedit et mediante illo vel motione communicata respicit effectum superiorem. Et si potentia obedientialis sufficeret constituere aliquid ratione instrumenti in actu primo, ipso facto quod aliquid est, constitueretur instrumentum in actu primo ad effectum excedentem sive supernaturalem sive artificialem. Contra sensum communem hoc est. Ad minorem argumenti respondetur quod respectu hujus effectus excedentis solum potest constitui in actu primo per aliam virtutem nempe principalis agentis; omne autem quod antecedit illam virtutem, tantum potest se habere dispositive ad effectum talem; ergo nulla implicat activitatem sed potius passivitatem seu capacitatem recipiendi hanc virtutem principalis agentis.

Unde Suarezius non magis quam Scotus explicat vel statuit rationaliter rationem formalem instrumenti, Et quemvis distingueret potentiam obedientialem activam remotam et proximam, non salvatur repugnantiam istius potentiae. Nam quia non admittit motionem principalis agentis nisi ut conditio vel completio non vero intrinsece recepta; nihil immutatur et distinguitur autem inter potentiam obedientialem activam proximam et remotam; ergo non valet distinctio. Repugnat quoque illam potentiam obedientialem activam, quia si daretur talis potentia immediate operativa (activa) effectuum supernaturalium; talis potentia esset entitative supernaturalis et non esset entitative supernaturalis; atqui ens non est non-ens; ergo implicat contradictionem. Et sic probatur antecedens. Sequela quoad primam partem ostenditur; tum quia omnis potentia immediate operativa specificatur ab actibus, quos elicit; atqui potentia immediate effectiva effectuum supernaturalium eliceret operationem entitative supernaturalem; ergo talis potentia esset entitative supernaturalis. Imo quia nihil possit in actu praecontineri nisi in principio ejusdem ordinis; sed potentia immediate operativa effectum supernaturalem praecontinere debet

in actu primo supernaturalem effectum; ergo potentia hujusmodi esset entitative supernaturalis. Quoad secundam partem sequela probatur ita: nam implicat potentiam entitative supernaturalem, et innatam naturae, atque ab illa realiter non distincta. Ergo haec esset potentia entitative supernaturalis, supra naturam creatam, et non distincta a natura sed illae innata et ea indistincta, ut constat ex dictis Suarezii citatis in principio. Sed ipsa potentia immediate operativa operum supernaturalium, quam Suarezius introducere voluit, non distinguitur ab entitate rerum naturalium, sed eisdem innata absque ulla distinctione reali, ut ipsemet Suarezius describit. Ergo praedicta potentia identificaret cum natura vel entitate naturali: unde non esset entitative supernaturalis sed naturalis. Repugnat igitur potentiam obedientialem activam.

2. De ratione formali instrumenti:- A) Ergo formalissima ratio instrumenti est agere "ut mota", quatenus ly "ut mota" dicit totam rationem vel principium praecise agendi. In hoc autem formaliter differt a causa efficiente principali, quae movetur sed tantum ut conditio vel concausa. Hanc conclusionem paucis verbis indicavit Cajetanus in I, q. 19, a. 8: "Quod cum dicitur causa inferior movet in quantum mota ly in quantum mota, potest denotare concausam, et si denotat causam praecisam, falsum est quod causa secunda movet ab hoc praecise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria, si autem denotet concausam sic movere causae secundae provenit, non ex moveri tantum, sed ex moveri et modo proprio ipsius causae secundae." Haec autem definitio dari potest: "Une cause instrumentale est un agent dont l'activité est appliquée efficacement à exécuter une intention qui ne procède pas de lui." (De Règnon op. cit. p. 487).

B) Effectus superior vel excedens autem non est de ratione formalissima instrumenti, sed est conditio necessaria seu propria. Nam aliqua agentia principaliter attingunt effectus excedentes nempe per virtutem complete et univoce communicatam v.g. aqua calefacta, calefacit principaliter. Sed necessarium est instrumentum attingit effectum excedentem, secus non instrumentaliter sed prin-

cipaliter ageret enim effectum superiorem ex propriis seu proportionatum naturae ejus.

C) Duplex est virtus vel activitas in instrumento: propria et instrumentalis. Prima constituitur ex natura et potentia propria instrumenti; ideo per illam solam principaliter agit et dispositive circa effectum excedentem. Secunda constituitur ex propria et alia nempe agentis superioris communicata, tali modo quod unicum principium agendi formatur et consequenter unicus effectus producit. Aliquid tamen utraeque virtuti correspondet in effectum non entitative distinctum ut vult Ferrariensis v.g. in scammo scissio ligni et formatio scammi vel scissio artificiosa non distinguuntur. Est enim eadem scissio virtute carpentarii artificiose operata.

D) Ergo omne instrumentum concurrere debet virtute et actione propria ad effectum nempe dispositive. Quod non significat, oportet instrumentum disponit materiam vel agit dispositionem in effectum sicut serra in productione scammi; sufficit enim quod modus operationis dependeat ab eo. Ita habentur instrumenta, qua habeant terminum ex parte rei operatae puta serra, penicillus, etc. et alia qua non sic habeant terminum sed modificant vel determinant actionem et ideo effectum principalis agentis puta phantasmata, et omnia instrumenta supernaturalis. Ergo non duplicem effectum producit sed eundem secundum dispositionem seu modum operandi ipsius instrumenti.

E) Denique ex indigentia creaturarum, instrumentum creatum requirit aliquam virtutem vel formam accomodatam effectui altiori; non enim pingitur pictor cum serra et carpentarius non secat cum calamo. Unde superioritas artificis aestimari potest ex independentia plus minusve magna naturae instrumenti. Sic homo qui per vilissimum calamum manifestat vel incarnat et concretizat perfecte ideam suam, optimus est quam alius qui facit idem cum bono instrumento. Proinde Deus qui supertranscendit omne ens non limitatur nullo modo ab eo; ideo Deus potest facere quodcumque (possibile et sine destruitur natura) cum quocumque v.g.

producit gratiam per aquam baptismalem etc. Notandum est quod requirit tamen exercitium virtutis propriae aquae nempe ablutio, non ergo destruit naturam aquae neque actionem propriam ejus. "Ad supernaturalia facienda quandoque Deus utitur ut instrumento interiori motu hominis vel ejus locutione, vel aliquo exteriori actu, vel etiam contactu alicujus corporis, etiam mortui. (IIa, IIae, q.178, a.1 ad 1). Ergo aliquammodo concluderi potest ex eo, quod Deus est optimus et perfectissimus artifex. "Quia omnipotentia non est alligata certis instrumentis aut propinquantibus, ideo non refert quavis re utatur Deus instrumentaliter ad quodcumque miraculum. Nam, sicut potest sine instrumento opus illud perficere, ita potest non solum efficere per instrumentum, sed per quodcumque, et ubicumque existat, et quantumcumque distet. Neque enim minuitur aut arctatur omnipotentia divina ad limites instrumenti quod assumit: sed instrumentum elevatur ad omnipotentiae executionem in tali miraculo ad quod efficiendum ordinatur ab ipsa." (Cajetanus Comm. III, q;13, a.2 n.6).

3. De natura instrumentalis virtutis:- A) Non est potentia obedientialis activa neque assistentia extrinseca, haec virtus instrumentalis; sed aliquid receptum in instrumenta.
- B) Neque ponitur proprie i.e. adaequate in aliquo praedicamento, sed sicut motus pertinet ad genus virtutis perfectae nempe qualitatis secundae speciei (potentia activa).
- C) Ergo est praemotio elevans, quia prius vel ante actionem etiam elevationem communicat instrumento; dum concursus simultaneus datur effectui et simul actioni quod non sufficit ad constituendum instrumentum in actu primo. Non tamen est simplex praemotio i.e. actus secundus causalis sed primo et formaliter est elevativa et virtuosa et in hoc differt a praemotione causae principalis secundae. Inquantum utraque habet effectum formalem applicationis ad actum secundum conveniunt; sed ratio praemotiois non dicitur univoce de praemotioe

instrumentali quae primo et per se elevativa est et secundo applicativa vel formaliter motiva. Duae formalitates quae non distinguuntur nisi formaliter, non vero realiter vel secundum rem.

D) Sed est praemotio elevans physica seu realis, quamvis dicatur intentionalis. Nam ibi ens intentionale non opponitur entí reali vel physico. "Sicut species, quae intentionaliter continet objectum principalius respicit objectum, cuius gerit vices, quam potentiam vel conceptum; sic illa motio praecipue respicit virtutem cuius est intentionale vices gerens, quam instrumentum vel terminum; unde perfectior est ad perficiendum instrumentum quam terminum." (Salmanticenses, De Sacramentis, disp.4, d.5). Ideo refert intentionem ad terminum cui tendit instrumentum realiter. Unde dicitur intentionalis non quia virtus illa est tantum ens rationis sed quia communicatur per modum tendentiae: ideo intendere in. Et proinde etiamsi spiritualis sit recipi potest in corporeo, nam non recipitur ut proprium nempe ad modum recipientis sed per modum motionis transeuntis et incompletae.

IV- Scholia.

1. De repugnantia instrumenti creationis:- Omne enim agens quod non est Deus, creatum est; unde quaestio est utrum agens creatum dari possit ut instrumentum creationis? Videtur quod non. Omne instrumentum enim exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam et connaturalem sibi; sicut calor naturalis generat carnem dissolvendo et digerendo, et serra operatur ad perfectionem scammi secando. Etenim "causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis." (I, q.45, a.5). Et hoc sive agendo dispositionem in materia vel in re operata per agentem principalem. Atqui repugnat omnino quod creatio fiat instrumentaliter ita. Nam creatio sumi potest a) pro quacumque productione seu efficientia sive physica sive

mórali; b) stricte pro productione ex nihilo sui et subjecti i.e. non tantum ex non-ente, quod non est tale ens sed ex non-ente, quod est nihil. "Cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, haec praepositio "ex" non designat causam materialem sed ordinem tantum."(I,q.45,a.1 ad 3). Unde creatio est actio qua datur esse simpliciter et absolute, sicut homo generatur a non-homine ante (terminum a quo) ita ens creatur a non-ente simpliciter. Unde non est formalis motus physicus sed tantum ordo inter nihilum antecedens et positionem subsequentem rei. Neque autem instrumentum creatum dispositionem agere potest quia non datur subjectum vel materia praesuppositum; neque enim creatio exire potest ad modum limitatum actionis entis creati. Nam producit tale ens et supponit subjectum praexistens, quia agit reducendo aliquam potentiam in actu. "Actio quae est accidens non potest sine recipiente materia operari."(De Pot.a.4) Ideo contra rationem creationis est, quia illa ex nihilo ponit aliquid in natura. Ergo impossibile est dari agens instrumentale creationis. Non tam productio entis repugnat quam modum productionis nempe creatio.

2. De causalitate instrumentali potentiarum animae:- Nulla substantia creata immediate operativa est; nam non est substantia quae sit actio sua nisi substantia divina, ut probatum est in initio. Ergo id per quod substantia operatur non potest esse nisi accidentale; nam si esset aliquid formaliter substantiale vel non distingueretur a substantia vel non solvaretur difficultas. Hoc autem medium quo operatur substantia dicitur virtus vel potentia animae. Quod enim hic dicitur de anima, valet de omni substantia cujus actio est a accidens i.e. de omni substantia creata. Hae virtutes subjectantur et distinguuntur realiter ab anima ut patet ex natura accidentis. "Essentia ipsius animae est principium operandi, sed mediante virtute, principium autem essendi est immediate, quia non est accidens."(I Sent.dist.3,q.4,a.2 ad 2). Ergo operatio vel actio, quae est accidens specificat potentiam vel virtutem non substantiam quae speci-

ficatur absolute in se et non in alio. Tamen hae virtutes accidentales attingunt effectus excedentes nempe substantiam. Immediate produciunt dispositiones praevias (accidentia) et mediantibus illis extendunt ad productionem substantiae. Unde in quantum attingunt dispositiones, propria vel adaequata objecta attingunt; substantiam vero tantum virtute substantiae in qua radicantur. Ergo sunt sub hoc ultimo respectu instrumenta animae, sed non stricto nempe quasi-instrumenta. Nam quamvis attingant effectus excedentes et in virtute alterius, non recipiunt per modum motionis transeuntis hanc virtutem. Ratio huius est quia superflua est et repugnat hunc influxum ex parte animae. Etenim potentiae conjungantur animae naturaliter et necessarie, et ideo confortantur vel elevantur habitualiter et non requirit specialem motionem ad agendum. Instrumenta stricta supponunt elevationem radicalem et formalem ad effectum omnino excedentem; potentiae ab anima recipiunt connaturaliter et habitualiter radicalem influxum et dant virtutes formalem scilicet specificationem ad hunc influxum radicalem. Iste radicalis influxus ontitativus et in re nihil est distinctum ab influxu actuali accidentis (subjectum accidentis) sed distinguitur secundum modum et dependentiam, quatenus procedit ab accidente, ut dependente et radicato in ipsa substantia. Consequenter ab utraque pendet operatio; a substantia sicut ab influxu primo seu radicali, a potentiis sicut a specificativo formali. Unde "non sunt vera instrumenta, sed ipsum (accidens) et substantia sunt una causa" ait Cajetanus in I, q. 54, a. 3 n. 17. Praeterea repugnat hunc influxum animae; quia nulla substantia creata immediate operativa est, ut dictum est; atqui influere seu movere sicut agens principale super instrumentum stricte dictum est agere immediate. Ergo nulla substantia creata vel anima influit vel movet ita potentias suas. Imo si moveret illas, hoc esset ^{accidens} per quoddam et sic non solvaretur difficultas. Unde potentiae vel facultates omnium creaturarum substantiarum sunt quasi-instrumenta.

3. De causalitate instrumentali phantasmatis:- Objectum formale intellectus nostri est quidditas rerum materialium per phantasiam representatae, prout est universalis. In aliis verbis intellectus non attingit quidditatem rei nisi phantasia exercoat officium vel causalitatem suam. Intellectus enim in hoc statu unionis animae cum corpore, omnes cognitiones suas sumit median- tibus sensibus externis et internis. Ita phantasia elaborat phantasma quod re- praesentat rem sensilem, particulari modo; intellectus agens autem abstrahit ex eo universale et productus dicitur species intelligibilis. Patet et omnes admittunt quod phantasma concurret ad species intelligibiles efficiendas; sed discrepant circa modum causalitatis. Contra Cajetanum et alios, fere omnes omnes thomistae autumant esse per modum causalitatis instrumentalis. Ad hoc S. Thomas dicit: "Intellectus agens est principale agens, quod agit rerum simi- litudines in intellectu possibili. Phantasmata autem, quae rebus exterioribus accipiuntur, sunt quasi instrumentalia agentia." (Quodl. 8, a. 3).

Intellectus agens autem, qui spiritualis est movet vel commu- nicat virtutem quemdam phantasmati materiali vel sensili. Virtute cujus phan- tasmata elevantur et ordinantur positive ad producendas species intelligibiles. Phantasmata ideo attingunt effectus excedentes nempe intelligibile non ex na- tura eorum sed per virtutem communicatam incompletam et transouentem. Nam acci- dens spirituale non recipi potest ut proprium in corporeo. Aliunde non phantas- mata principaliter agunt vel movent intellectum agentem; nam repugnat materia- le et sensile in spirituali agat ratione inferioritatis eius. Sed quatenus cor- poreum subordinatur spirituali, convenit intellectui agenti agere vel movere phantasmata. Quid dispositive agunt phantasmata virtute propria? Non immediate operatur dispositionem in spirituali ut sic quod repugnat omnino corporeo. Mo- dificant autem vel determinant ipsum influxum intellectus agentis, quod suffi- cit ut vidimus ad rationem instrumenti. Illuminatio enim intellectus agentis semper eadem est et tamen variantur effectus scilicet species intelligibiles.

Unde sequitur quod diversa phantasmata diversomodo modificant et determinant motionem intellectus agentis. "In receptione enim, ut notavit S.Thomas q.10 de Verit. a.6, qua intellectus possibilis species rerum accipit a phantasmatibus, se habent phantasmata ut agens instrumentale et secundarium: intellectus vero agens ut agens principale et primum: et ideo actionis effectus relinquitur in intellectu possibili secundum conditionem utriusque et non secundum conditionem alterius tantum. Et ideo intellectus possibilis recipit formas ut intelligibiles actu ex virtute intellectus agentis; sed ut similitudines determinatarum rerum, ex conditione phantasmatum."

4. De causalitate instrumentali creaturae:- Nolumus immorari circa hanc quaestionem, quae ipsa sola, thesi copiam dicendi suppeditaret; tantum directam vel immediatam applicationem doctrinae nostrae dicemus. Scimus enim quod creatura vere agit principaliter nempe producit effectum qui assimilatur eae. Aliunde Scriptura dicit quod: "Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine." Et S. Thomas item: "Deus operatur in omni operante." Imo addit: "...unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti, et hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis." (C. Gent.3,c.70). Sed duplex est concursus Dei in creatura: praeuius et simultaneus. Potius est una motio vel actio divina quae duplicem formalitatem vel effectum formalem distinctam habet. Una communicatur ante actionem, salva ratione causalitatis principalis (praeuius); altera affectat effectum, intelligendo nomine effectus actionem et terminum eius. Hic concursus identificatur entitative cum actione causae secundae, in eo quod eadem actio dependet a Deo ut a causa prima, a creatura ut a causa secunda. Non vero adaequatur concursus et actio, in hoc sensu quod concursus divinus se extendat post productionem effectus; actio enim cessat, non concursus Dei qui conservat effectum in esse.

Unde virtute concursus praevis simpliciter causa secunda actuatur et principaliter agit ad effectum. Sed in quantum producit actionem cujus esse vel entitas sub ratione universalissima entis a Deo principaliter dependet et instrumentaliter a causa secunda. "Quia omne ens quocumque modo sit, a Deo participatum est et derivatum, sed effectus ipse, et actio sunt entia quaedam creata, ergo a Deo sunt creata, ergo actio nostra et effectus illius etiam a Deo debet procedere, indiget ergo causa creata in quocumque effectu concursu Dei simultaneo, qui magis requiritur propter effectum, qui est ens participatum a Deo, quam propter ipsam causalitatem causae secundae." J. a S. Thoma Phil. nat. I, q. 25, a. 1). Quod confirmat S. Thomas: "Nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus, et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus." (De Causis lect. 1).

Ergo causa secunda quae est causa principalis talis actionis individualis, non attingat eam nisi instrumentaliter sub ratione entis. Et cum haec actio non immediate creatur; ideo concurrit ad productionem ejus ut instrumentum Dei. Ideo omnia creatura vera sunt instrumenta Dei, respectu esse actionis et effectus ut ens; sed principaliter causat teleitatem vel effectum individualement. Etenim "la cause seconde est donc cause instrumentale de l'être en tant qu'être de son effet, qui sous cet aspect relève directement de Dieu. S'ensuit-il, comme le prétend l'occasionalisme, qu'elle n'est proprement cause de rien? Nullement, elle est cause propre du devenir et par suite de l'individualité de son effet." (Garrigou-Lagrange, Dieu, son existence, sa nature. p. 478). Tamen creatura irrationalis magis comparatur ad Deum ut instrumentum, nam non sese determinat seu eliciat proprie finem vel intentionem ejus. Ideo "illa (entia irrationalia) quae ratione carent tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota non autem seipsis; cum non non cognoscunt rationem finis, et ideo nihil in finem ordinare possunt sed

solum in finem ab alio ordinantur. Nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum, sicut instrumentum ad agens principale."(Ia,IIae,q.1,a.2). Et ita praemotio causae Primae et praemotio instrumentalis aliquantulum correspondent. Nam praemotio divina primo constituit causam in agendo vel in causando nempe applicat actum primum ad actum secundum et secundo elevat vel adjuvat ad productionem effectus excedentis nempe esse actionis et effectus. Non differt autem a praemotio instrumentali nisi in eo quod entitas instrumentalis, primo elevat vel constituit instrumentum ratione causae i.e. ut principium positivum agendi et postea applicat ad agendum.

FINIS